Georges.
De elocutione
M. Velleii Paterculi

DE ELOCUTIONE

M. VELLEII PATERCULI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM LIPSIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HENRICUS GEORGES

GOTHANUS.

LIPSIAE,

SUMPTIBUS LIBRARIAE HAHNIANAE.

MDCCCLXXVII.

J. MARQUARDTO

PRAECEPTORI PIE COLENDO

HUNC LIBELLUM

D. D.

HENRICUS GEORGES.

INDEX.

DE ELOCUTIONE M. VELLEII PATERCULI.

SCRIPSIT

HENRICUS GEORGES.

Ad elocutionem M. Velleji Paterculi si animum attendimus, invenimus de ea ab aliis aliter judicatum esse. Exstiterunt enim non solum ejus laudatores, sed etiam nonnulli, qui eam vehementer vituperarent. In numero autem vituperantium princeps fuit Aldus Nepos (ad Vellej. II, 52, 4), cui assentiuntur Barthius (in Advers. XVI, 7 ed. Francof. 1648) et P. Burmannus (in Praefat. ad edit. Vellej.), quibus sermo Vellejanus a munditia Augustei aevi descivisse visus est. Sed argumenta illorum breviter et optime refutavit Dav. Ruhnkenius (in Praefatione p. XX.), doctissimus ille latinitatis existimator, Vellejo ‚venustum et exquisitum loquendi genus' attribuens. Summam autem laudem propter dicendi elegantiam Vellejo impertiverunt praeter Ruhnkenium Beatus Rhenanus (in Praefatione ed. Frob.) ‚Vellejum nulli inter latinos secundum, castum ac nitidum' dicens; Ger. Jos. Vossius (de hist. latin. lib. I. cap. XXIV. p. 120), qui affirmat dictionem plane Romanam et elegantem esse; Marcus Antonius Muretus (ad Cicer. orat. in Cat. III, 10), idoneus, si quis alius, hujus rei arbiter, qui historiam a Vellejo terse in primis atque eleganter explicatam esse judicat.

Nostra demum aetate H. Sauppius in Museo Helvetiorum (Tom. I, 2. p. 177 sqq.) et F. Kritzius in Prolegomenis ad editionem Vellejanam (p. XLVII sqq.), viri doctissimi, opinionem eorum, qui putabant Vellejum usum esse oratione praeclara et polita atque eleganti eumque scriptore nullo inferiorem esse refellere conati sunt. Quamquam autem, quae est mentis acies et in hac re judicanda auctoritas illorum virorum, exemplis, quae ad comprobandam sententiam suam contulerunt, evidenter demonstraverunt Velleji elocutionem multis laborare vitiis, tamen concedi necesse

est vitia illa attribuenda esse maximam partem aetati Velleji, qua a perfecta et perpolita dictione Ciceroniana magis magisque recessum est.

Tres potissimum causas Kritzius affirmat se reperisse, quibus pateat Vellejanae elocutioni elegantiam, quam multi interpretes in ea laudare non dubitaverint, tribui non posse. Primum enim, dicit, Vellejus hyperbolicam illam dicendi rationem sectatur, qua in rebus significandis modum excedit et verbis utitur ad alliciendos lectores nimis splendidis et ab antiqua simplicitate longe recedentibus. Aliud Velleji vitium, Kritzio judice, in eo cernitur, quod in sententia eadem plurimis modis enuntianda itaque varianda orationem, quam ornare studet scriptor, enervet atque deteriorem reddat. Quare brevitatem dicendi, quam propriam esse Velleji multi putaverint, frustra quaeri in illo Kritzius contendit. Tertia denique causa, inquit Kritzius, quae perfectae operis Vellejani formae obfuit, in festinatione posita est, quae quum plurimum valeat ad excusandum scriptorem, tamen saepissime caliginem quandam sententiae inducit. Haec hactenus Kritzius.

Nobis autem sine ira et studio sermonem Vellejanum aestimantibus ante omnia considerandum est scripsisse Vellejum ea aetate, qua ut in republica et in moribus nihil fere pristinae sanitatis et roboris reliquum erat, ita in litteris quoque sanitatis ille color, quem in superioribus scriptoribus in primis in Cicerone tantopere admiramur, paulatim evanuerat. Cujus rei causa a commutata potissimum disciplina civitatis repetenda est. Quum enim Caesarum dominationi respublica subjecta esset, fieri non poterat, quin mutatus reipublicae status magnam vim ad artes et litteras colendas haberet et eloquentia, quae temporibus liberae reipublicae in honore esset, ad ostentationem et blanditias delaberetur.

Itaque H. Sauppius, quamquam vitia, quibus oratio Vellejana laboret, intellexit, optime et justissime de ea judicasse mihi videtur, si dicit (p. 179): ‚Im Ganzen jedoch ist die Sprache rein und fliessend, mit allen Mängeln und Vorzügen des damaligen Ausdrucks. Bilder und Witzspiele, Antithesen und Sentenzen, poetische Worte und gewagte Gedankenwendungen, kurze abgerissene Sätze bemühen sich, die abgestumpften und überreizten Geister zu neuer Theilnahme aufzuregen.‘ Videas quoque, quid judicet de Vellejo Bernhardy in Litter. Roman. p. 722 (edit. V.).

Quum autem Vellejus antiquissimus sit scriptorum, qui argentea, quae vocatur, aetate historiam composuerunt et quum ex eo clarissime intelligatur, quantum a perfecta et perpolita dictione, quam in reipublicae liberae scriptoribus admiramur, recessum sit, operae pretium facturus mihi videbar, si de elocutione ejus nonnulla exponere conarer. Et quamquam intelligebam hanc rem et multum difficultatis habere et multo

majores vires desiderare, quam meae essent, ideo tamen suscepi hoc opus, quod aliqua ex parte me effecturum esse sperabam, ut melius cognosceretur, qualis esset elocutio Vellejana, de qua sententiae doctorum virorum tam diversae sunt et inter se discrepantes. Sed quoniam Ciceronis et Caesaris scripta quasi exempla purae et incorruptae latinitatis habentur, eam sequemur rationem, ut primum, quibus Vellejana elocutio ab utriusque dicendi consuetudine abhorreat, exponamus ita, ut quae vocabula nova fecerit, quibus novam vim imposuerit, quae a superioribus poetis desumpserit, quae apud superiores scriptores in primis apud Sallustium et Livium rarius inveniantur, commemoremus, postremo autem nonnulla adjungamus, quae ad artem grammaticam potissimum pertineant.

Sed antequam ad Velleji elocutionem ipsam adumbrandam accedimus, pauca in universum disputabimus de toto orationis habitu. Ac primum quidem quum quaeritur, qualem sese praestiterit Vellejus in scribendo, illud considerandum est eum praeter historici simul oratoris partes agere; quod maxime perspicuum est, ubi in ultima operis parte res Caesarum in primis Augusti et Tiberii enarrat ita, ut medius fiat inter historicum et panegyricum scriptorem.

Hoc vero genus dicendi oratorium ex locis poetico quodam colore distinctis et ornamentis cujusque generis instructis intelligitur, velut: 1, 16, 4; 1, 18, 3; 2, 4, 4; 2, 59, 6; 2, 103, 4; 2, 130, 4; al. De oratione Vellejana poetico colore quasi infecta et de sententiis operi insertis, quod proprium est generis oratorii, H. Sauppius in Museo Helvetiorum (Tom. I, 2. p. 178 et 174) diligenter et scite disseruit. Pauca habeo, quae addam: stationi paternae succedere 2, 124, 2; functus statione mortali 2, 131, 2; bello civili et tot malis non alius majorem flagrantioremque quam C. Curio subjecit facem 2, 48, 3; refulsit spes certa liberorum parentibus 2, 103, 5; sopitus armorum furor 2, 89, 3; quorum cervices tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant 2, 131, 2; plurimo igne emicans incendium militaris tumultus 2, 125, 4. — Sententiis a Sauppio allatis adjungam has: alit aemulatio ingenia: et nunc invidia, nunc admiratio imitationem accendit 1, 17, 6; familiare est hominibus omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere 2, 30, 3; semper magnae fortunae comes est adulatio 2, 102, 3; ineluctabilis fatorum vis, cujuscumque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit 2, 57, 3.

Hunc spiritum oratoris secutus Vellejus variis sententiarum orationisque formis, quas *figuras* sive *σχήματα* vocant grammatici, usus est. Itaque invenies frequentes *interrogationes*, (1, 16, 4; 2, 42, 2; 2, 53, 2; 2, 75, 2; 2, 111, 4; 2, 122. 129. 130), *exclamationes* (2, 28, 3; 2, 52, 5; 2,

106, 1; 2, 114, 1), *apostrophen* (2, 66, 3, qui locus totus est oratorius), *anaphoram* (2, 6, 3; 2, 89, 1; 2, 114, 2), *asyndeta* (1, 7, 4; 2, 19, 4; 2, 20, 5; 2, 68, 1; 2, 75, 3; 2, 79, 1; 2, 103, 5; 2, 130, 4), *polysyndeta* (2, 82, 4; 2, 83, 2; 2, 103, 4; 2, 104, 4), *litoten* (1, 2, 1: vir non praetereundus; 2, 18, 1: vir neque silendus, neque dicendus sine cura; 2, 9, 1: nec praetereundus Metellus et Scaurus; 2, 26, 3: non perdat gloriam), *ἓν διὰ δυοῖν* (2, 29, 2: dignitate constantiaque), *chiasmum* (2, 119, 2; 2, 126, 2 et 4). Figura illa, quam *zeugma* vocant grammatici, invenitur locis his: 2, 20, 5: C. Marium cum filio de exilio revocavit quique cum iis pulsi erant. — 2, 85, 5: fuit in confesso milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum officio. — 2, 89, 4: principes viri triumphisque et amplissimis honoribus functi ad ornandam urbem illecti sunt. — 2, 100, 3: Julia nihil, quod facere aut pati turpiter posset femina, luxuria, libidine infectum reliquit. — 2, 112, 3: ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium, ut ubicunque Caesar esset, nihil in se reponerent. Per *zeugma* verba, quae sunt ‚ita fiducia virium' referuntur ad ‚placebat'. — 2, 128, 4: haec naturalis exempli imitatio ad experiendum Sejanum Caesarem, ad juvanda vero opera principis Sejanum protulit. ‚Jam Burmannus vidit *zeugma* h. l. obtinere, si quidem verbum proxime ad ‚Sejanum' pertinet, quem illa exempli vis revera ‚protulit' i. e. in lucem protraxit et in summum locum evexit. Ad prius membrum cogitatione inde eliciendum est ‚impulit' vel simile vocabulum'. Kritz.

Sed *redundantiae* inservit Vellejus saepissime et ubi uno verbo vel una locutione defungi poterat, pluribus utitur. Sic nonnunquam *synonymis* eandem rem declarat, v. c. prisca et vetus comoedia 1, 16, 3; prisca et antiqua severitas 2, 125, 4 (cl. 2, 89, 3); ferri gestarique 2, 27, 3; nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem statu relinquebat 2, 6, 3. Aliis locis *tropicae dictioni* adjungit scriptor *propriam*, v. c. animum quatere atque terrere 2, 110, 6; inescandae illiciendaeque multitudinis causa 2, 13, 2; vel *alteram tropicam clariorem*, v. c. res publica fluens et procumbens 2, 16, 4; hirtus atque horridus 2, 11, 1; vel *propriae alteram graviorem*, v. c. leges perniciosae et exitiabiles 2, 18, 6; oratio ac vis forensis perfectumque prosae eloquentiae decus 1, 17, 3; caput erectum et ostentatum 2, 19, 1.

Saepius *verbis frequentativis*, quippe quae pleniorem sonum in cadendo reddant, utitur Vellejus, velut: adventare 2, 59, 6; affectare 2, 39, 1; captare 2, 50, 3; 2, 129, 1; consultare 2, 24, 5; dictitare 2, 27, 2; 2, 57, 1; 2, 58, 2; 2, 60, 2; 2, 83, 2; respectare 2, 107, 2; versari 1, 13, 3; vocitare 1, 3, 1. — *Verba intensiva* reperiuntur apud Vellejum haec: indicare 2, 61, 3; 2, 102, 1; 2, 118, 4; ostentare

1, 4, 2; 2, 18, 1; pollicitari 2, 111, 1; quaeritare 1, 4, 3; sustentare 2, 104, 2; venditare se 2, 63, 3; vexare 2, 79, 4.

Nonnulla deinde vocabula vim suam videntur mutavisse ob mutatas conditiones, quae imperio uni delato inter cives et principem (ita 2, 121, 1 et saepius vocatur) intercedebant. Sic substantivum abstractum, quod est *majestas*, pro imperatore appellando ponitur 2, 129, 3: pace majestatis ejus dixerim; *principatus* dicitur imperium principis 2, 124, 2; *principale* autem significat, quod ad imperatorem attinet, v. c. principalis quies 2, 56, 2; ministeria principalia 2, 93, 3; principalia opera 2, 124, 3 et 127, 3.

Quantam autem curam Vellejus in oratione varianda posuerit, ne idem vocabulum saepius allatum aures legentium offenderet, ex locis his intelligitur. Praeter verbum, quod est mori, quod invenitur 1, 11, 7; 2, 119, 3, has reperies elocutiones: abire vita 2, 35, 5; decedere (scil. de, ex vita) 1, 11, 1; 2, 4, 7; 2, 21, 4; 2, 87, 3; 2, 93, 2; 2, 102, 1 et 4; cadere (in der Schlacht fallen) 1, 17, 4; quis fuisset exitus 2, 87, 3; ad deos excedere 1, 2, 1; hunc finem vitae habere 2, 14, 3; vitam finire 2, 3, 2; ad certam mortem ire 2, 5, 3; de vita migrare 1, 11, 7; morte fungi 2, 49, 1; fungi statione mortali 2, 131, 2; mortem obire fortiter 1, 9, 3; ex vulnere 2, 61, 4; fatalem 2, 4, 6; dignissimam vita 2, 91, 4; obire voluntaria morte 2, 87, 3; morbo 2, 102, 4; obire 2, 47, 2; 2, 59, 2; 2, 102, 1; occĭdere 2, 91, 4; 2, 119, 4; perire 2, 64, 2; proteri, 2, 91, 4; spiritum reddere 2, 14, 2; 2, 22, 2; exspirare effluvio sanguinis 2, 120, 4; exspirare 2, 7, 2; 2, 70, 5. — Juxta interficere (2, 18, 6) exstant: afficere morte 2, 6, 4; conquirere ad mortem 2, 22, 4; ad necem 2, 41, 2; confodere 2, 22, 3; exstinguere 2, 54, 2; 2, 78, 1; interimere 1, 2, 1; 1, 12, 4; 2, 1, 3; 2, 4, 1; 2, 87, 2; jugulare 2, 6, 6; 2, 26, 3; 2, 112, 6; 2, 120, 1; necare 2, 18, 1; 2, 34, 4; occidere 1, 2, 1; 2, 16, 4; 2, 121, 3; privare vita 1, 6, 2; privare spiritu 2, 87, 2; trucidare 2, 12, 2; 2, 26, 2; 2, 119, 2. — Memoria cum his verbis conjungitur: mandare memoriae 1, 15, 5; 2, 8, 1; commendare memoriae 2, 4, 3; prodere memoriae 2, 4, 6; inurere aeternas notas memoriae 2, 64, 3; signare memoria 2, 115, 1; tribuere memoriae 2, 16, 2; memoria non fraudari 2, 92, 1. — Sic variato dicendi genere legitur: reparare vires 2, 37, 1; refovere vires 1, 15, 1; 2, 113, 2; reficere vires 2, 16, 4; confirmare vires 2, 44, 2. — De urbe capta verba adhibentur haec: aequare solo 2, 4, 2; delere 1, 13, 1; diruere 1, 12, 5; funditus eruere 1, 31, 1; funditus tollere 1, 12, 5; excidere 2, 6, 4.

Aliud variandae orationis genus ejus modi est, ut duplicem vocabulorum formam Vellejus usurpet. Sic reperiuntur: *cupiditas* 2, 33, 2

juxta *cupidinem* 2, 33, 1 (jam inde a Sallustio); *eloquentia* 1, 18, 1 juxta *eloquium* 2, 68, 1; *exercitium* 2, 109, 1 juxta *exercitationem* 2, 79, 2; *exitiale* (2, 22, 4) juxta *exitiabile* 2, 12, 6 et saepius; *necessitas* 1, 126, 2 juxta *necessitudinem* 2, 50, 2; *praeparatus* 2, 76, 3 juxta *praeparationem* 1, 12, 6; *praevalens* 2, 108, 2 juxta *praevalidum* 2, 69, 2; *pudor* 2, 5, 3 juxta *pudicitiam* 2, 48, 3; *supervacuus* 1, 16, 1 juxta *supervacaneum* 2, 36, 2.

Sententia Graeca ex Homero (Iliad. 5, 304; etiam 12, 383 et 449) desumpta Graecis litteris scripta exstat 1, 5, 3: *οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν*. Ex lingua Graeca desumptas voces habet Vellejus has: *dynastes* 2, 51, 1; *naumachia* 2, 56, 1; 2, 100, 2 (pro hac voce optimi scriptores dicunt proelium navale; navale certamen legitur 2, 79, 1); *tetrarches* 2, 51, 1.

Animadvertendum est hoc loco nonnunquam apud Vellejum fieri, ut adjectivum ad regens substantivum referendum ei addatur, quod ex illo pendet. Exempla ejusmodi sunt: omni flagitiorum scelerumque conscientia mersus 2, 91, 3; cum alia prisca severitate summaque constantia vetere consulum more ac severitate gessisset 2, 92, 2; ob manifestarum rapinarum indicia 2, 83, 2; sub honorificentissimo ministeri titulo 2, 45, 4; vacillantium etiam cis Rhenum sitarum gentium animos confirmavit 2, 120, 1; quod factum cuilibet veterum consulum gloriae comparandum reor 2, 92, 4. — Similiter Vellejus Graecorum morem secutus adjectivo genitivum substantivi adjungit, velut 2, 80, 3: nam ab Scipionibus aliisque veterum Romanorum ducum. Plura de hoc usu vide apud Velleji interpretes Ruhnk. ad 2, 80, 3, Kritz ad 2, 91, 3 et apud Reisigium in Gramm. Lat. p. 362 ibique Haasii notam 522.

Multa praeterea insunt in Vellejo, quibus patet eum operam dedisse, ut sententias atque ornatum optimorum scriptorum in primis Ciceronis, Sallustii, Livii imitaretur. Tamen Sallustii prae ceteris aemulationi scriptorem nostrum studuisse primus observavit Dav. Ruhnkenius, qui in notis ad singulos locos scriptis imitationis vestigia monstravit. Sic verba et locutiones Sallustianas apud Vellejum reperimus, velut: pollicitari 2, 111, 2 (Sall. Cat. 38, 1; Jug. 8, 1), anceps periculum 2, 2, 3 (Jug. 38, 5), parentes = oboedientes 2, 108, 2 (Jug. 102, 7), sanguine conjunctissimus 2, 41, 2 (Jug. 10, 3), cursu tendere 2, 70, 2 (Jug. 91, 4), aperire conjurationem = patefacere conj. 2, 34, 3 (Cat. 40, 6), imperi aemula Carthago 2, 1, 1 (Cat. 10, 1), neque dicendus sine cura 2, 18, 1 (Sall. apud Sen. de benef. 4, 1, 1). — Scriptori nostro Ciceronem ante oculos versatum esse ex locutionibus intelligitur velut: gladiorum impunitas 2, 3, 3 (Cic. Phil. 8, 11, 32), post bis excisos terrores rei publicae 2, 4, 5 (pro Mur. 28, 58), lacerare rempublicam 2, 12, 6 (de off. 1, 17, 57), pestifer Marii reditus 2, 22, 1 (Phil. 3, 2, 3), quippe, quem spiritum

supplicio debuerat, reddidit 2, 35, 5 (Cic. Phil. 10, 10, 20); turma equestrium statuarum 1, 11, 3 (ad Att. 6, 1, 17); haec sunt tempora, quibus M. Tullius aeternas Antoni memoriae inussit notas 2, 64, 3 (Phil. 13, 19, 40). — Scriptorem nostrum a Livianis scriptis perlegendis alienum non fuisse patet ex 1, 9, 6, cum quo loco conferas Liv. 45, 35, 5.

Jam paucis disseremus de ‚*detractione*‘, quam Graeci vocant ἔλλειψιν, satis usitata etiam ab optimis scriptoribus. Omissa autem sunt haec:

1) Particulae velut *quam* post *amplius*, vid. quae infra de particulis disputavimus sub voce ‚quam‘; *quam* post *minus* 1, 17, 2; *eo* post *quo* 2, 43, 4; *tantum* post praecedens *quantum* 2, 39, 2; *tanto* ante *quanto* 2, 72, 2; *post* ante *quam* 2, 80, 4; *tam* ante *quam* 2, 15, 5. *Solum, tantum* omittitur et dicitur *non* . . . . *sed etiam* 2, 22, 2: neque . . . . sed excelsissimi quoque; cl. 2, 28, 4; 2, 126, 1. Cf. Dräger, hystor. Syntax der lat. Sprache Bd. II. p. 102.

2) Praepositiones velut *in* 1, 7, 1: ne in id, quod Homerus incideret; *ob* 2, 115, 3: ob ea, quae triumphare debuerat.

Deinde pronomen *is* omittitur et ex praecedente enuntiatione supplendum est 1, 1, 4 et 1, 12, 4; *unus* omittitur in locutionibus, velut: M. Perpena praetorius e proscriptis 2, 30, 1; Coponius vir e praetoriis gravissimus 2, 83, 3. Cf. Kritz ad 2, 30, 1. Interdum etiam verbum alterius enuntiationis ad primam supplendum est, v. c. 2, 115, 5: nec unquam consilia ducis judicio exercitus (suppl. recta sunt), sed exercitus providentia ducis rectus est. Deinde commemoranda est *ellipsis* verbi ‚*dicendi*‘, quae usitatissima est, velut 2, 92, 3: et cum facturos se perseverarent, consularem vindictam minatus est; 2, 111, 1: audita in senatu vox principis, ni caveretur, posse hostem in urbis Romae venire conspectum. Accedit, quod plerumque fere apud Vellejum *verbum*, quod *auxiliare* vocant grammatici, omittatur.

Jam restat, ut verba, quae *absolute*, ut ajunt, posita sunt, afferamus. Sunt haec fere: advenire 2, 70, 3 (Cic.); circumstare 2, 14, 2 (Liv.); coepi 2, 3, 4; 2, 45, 3 (Sall., Liv., poster.), male cedere 2, 14, 1; 2, 18, 5 (Poetae, Nep., Sall.); concipere 2, 117, 3 sequente accus. c. inf.; concurrere = pugnare 2, 25, 4 (Galba ap. Cic. ad. fam. 10, 30, 3; Sall., Liv.); confligere 2, 21, 2 (Nep.); congredi 2, 112, 3 (Plaut., Liv. 8, 24, 9; al.); dissuadere 2, 31, 4 (Quint. 2, 4, 33); digredi 2, 105, 3 (Cic.); egredi 2, 119, 2 (Caes.); exprimere (intell. verbis, dicendo) 2, 86, 1; 2, 89, 1 (Cic. de fin. 2, 2, 6; Plin. ep., Suet.); exsequi 2, 24, 5 (Sen. phil., Tac.); exspirare 2, 7, 2; 2, 70, 5 (Sall. hist. 1, 30 (D.); Liv. 2, 20, 9; 28, 19, 12); festinare (in narrandis rebus) 2, 41, 1; 2, 124, 1 (Sall.); interrogare (int. sententiam) 2, 4, 4; obire (int. mortem) 2, 47, 2; 2, 59, 2;

2, 102, 1 (Liv., Plin. maj., Suet.); pellere 2, 20, 5 (Sall.); praecavere 2, 12, 1 (Plaut., Pacuv. ap. Cic. de fin. 5, 11, 31); praeesse (int. reipublicae) 1, 8, 3 (Cic.); profugere 2, 6, 6; 2, 53, 1 (Cic.); pugnare 2, 21, 3; 2, 55, 1; 2, 112, 3; 2, 119, 2 (Caes.); queri 2, 40, 5 (Cic.); referre de alqa re = narrare alqd 2, 16, 3 (Cic.); resistere 2, 61, 1; 2, 109, 1 (Caes., Nep., Sall.); scribere 2, 41, 1 (Cic.); trajicere (int. se) 2, 43, 1 (Liv.); transmittere (int. milites, copias) 2, 49, 5; 2, 52, 2; 2, 84, 3. Cf. Kuehnast, Livianische Syntax p. 151 Anmerk.; vindicare (int. sibi) 1, 13, 2; 2, 34, 2; 2, 100, 3; 2, 112, 5 et 6 (Cic.).

Haec habui, quae in universum de oratione Velleji Paterculi disputarem. Nunc, quas significationes apud eum singula vocabula habeant, ostendam atque a substantivis initium capiam.

De Substantivis.*)

Ut omnibus, qui operam suam studiumque navabant litteris Latinis, notum est antiquis temporibus in lingua Latina substantivorum copiam nimiam non fuisse, quam ob rem saepe longo et molesto eloquendi circuitu unam notionem exprimere necesse erat, ita vituperari non potest studium scriptorum, qui aetate Augusti et post ejus obitum florebant, hos eloquendi ambitus evitandi et multa substantiva, maxime a verbis, quibus lingua abundabat, ducta novandi, praesertim quum Cicero ipse linguae hoc modo excolendae ornandaeque viam ingressus esset et quasi munivisset. Quo modo illos scriptores multum ad linguam expoliendam et quasi perficiendam contulisse, quis est qui neget? Neque enim mihi persuasum habeo linguam Latinam aurea, quae vocatur, aetate adeo omnibus ex partibus perpolitam et absolutam esse, ut nihil addendum esset, nihil amplificandum. Sed illuc, unde aberravi, revertar ac primum quae nova fecerit substantiva Vellejus enarrabo, deinde quibus novas significationes imposuerit, tum quae a superioribus poetis desumpserit, postremo quae apud Sallustium, Livium, alios, qui in eodem numero habeantur, rarius inveniantur.

Haec substantiva Vellejus primus videtur usurpavisse (dico ‚videtur',

---

*) In locis Velleji commemorandis secutus sum in primis editionem, quam typis describendam curavit Fr. Kritzius (M. Vellei Paterculi quae supersunt ex historiae Romanae libris II. Lipsiae 1840. 8°). Inspexi autem etiam editiones Vellejanas Haasii (Lipsiae 1858) et Halmii (Lipsiae 1876) et lectiones a textu Kritziano alienas apposui.

quod, quos in dissertatione de Velleji elocutione scripta contuli locos partim ex lexicis Latinis partim ex ‚indicibus', qui ad singulos scriptores nobis praesto sunt, desumpsi, quibus, quam exigua saepe fides habenda sit, omnibus notum est):

Celsitudo pro *altitudine*, *excelsitate* dicitur 2, 94, 2: juvenis genere, forma, celsitudine corporis maximoque ingenio instructissimus (Cic. de off. 3, 5, 24 voce excelsitatis utitur). De altitudine montium usurpatur *celsitudo* Apul. de mundo 33: Olympus, qui est celsitudinis summae; metonymice dicitur ab Ammiano Marcellino (23, 6, 28: maximae celsitudines montium et 15, 10, 6: alia celsitudo erectior [de Alpibus sermo fit]). Apud juris consultos et patres *celsitudo* titulus est, quo appellantur comes sacrarum largitionum et praefectus praetorio, velut Cod. Theod. 6, 26, 18 et 8, 5, 23; Cassiod. var. 2, 37.

Consummatio pro *perfectione*, *absolutione* ponitur 2, 116, 4: consummatione evectae in altissimum paternumque fastigium magnitudinis (Haase et Halm imaginis) defectus est (Cels. 1, 3 extr., Sen. suas. 6, 21; Colum. 1. praef. 7; Plin. ambo, Quint.). Similiter adjectivum, quod est *consummatus*, pro *perfecto*, *absoluto* dicitur 2, 117, 1: cum intra quinque consummati tanti operis dies funestae ex Germania epistolae venerunt (Col., Plin. ambo, Sen. ep., Quint.). *Consummandi* verbum invenitur apud Ovidium primum (fast. 3, 166) apud Vitruvium 1, 1, 4 et saepius apud Livium, ut 28, 17, 3; 29, 23, 4; epitom. 68 extr. et apud Vellejum ipsum 2, 89, 2; 2, 115, 4 (Posteriores).

Conversatio proprie videtur significare *frequentem usum actionemque saepe versandi*, ut apud Senec. de benef. 3, 2, 3; Plin. h. n. 10, 33 (51), 100; translate ponitur pro *consuetudine*, *familiaritate*, ut a Vellejo primo 2, 102, 3: nec defuit conversatio hominum vitia ejus assentatione alentium (Sen. rhet., Plin. maj., Quint., Tac., Justin. Cf. Ruhnk. ad Vell. 2, 102, 3; Spalding ad Quint. 6, 3, 7).

Effluvium. Hoc vocabulum, quod *actum effluendi* significat, Velleji editores ex corrupta lectione (editio princeps et apographum Amerbachii: in fluuio) praeeunte Lipsio in textum receperunt 2, 120, 4: ut protinus sanguinis cerebrique effluvio exspiraret (Plin. h. n. 7, 51 (52), 171: umoris e corpore effluvium; Tac. ann. 12, 57: convivium effluvio lacus adpositum).

Exercitium sive pluralis forma *exercitia* pro *exercitationibus*, qua voce Cicero semper utitur, exstat 2, 109, 1: corpus perpetuis exercitiis paene ad Romanam disciplinae formam redactum. Singularis forma hujus vocis absolute dicitur Tacit. hist. 3, 36: non adloquio exercitioque militem firmare; aliis locis, qui apud Tacitum exstant, genitivus huic vo-

cabulo adjungitur, velut ann. 2, 55: exercitium equitum; 3, 33: exercitium cohortium (Gell., Veget.).

Exsecutor eum significat, qui aliquid *exsequitur* i. e. *perficit* 2, 45, 1: P. Clodius malorum propositorum exsecutor acerrimus. Apud juris consultos ponitur pro *apparitore*, *exactore*, quae significatio in linguam Germanicam transmigravit (‚Executor'). Apud Suetonium eandem vim habet, quam *punitor*, *ultor*, ut Vesp. 14: offensarum inimicitiarumque minime memor executorve.

Intellectus pro *intelligentia* et *cognitione* i. e. *peritia in rebus arte factis* (Germanice vertimus ‚Geschmack') dicitur 1, 13, 5: magis pro republica fuit manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quam in tantum ea intelligi. Posteriores, ut Sen. phil., Plin. maj., Quint., Tac. hanc vocem usu receperunt et pro intelligentia saepissime usurpaverunt.

Interemptor pro usitato vocabulo *interfectoris*, quod invenies apud Vellejum 2, 58, 3; 2, 87, 3, ponitur 2, 129, 1: qua prudentia Rhascupolim, interemptorem fratris sui, evocavit (Val. Max. 6, 1, 2; Sen. ep. 70, 14; Treb. Poll. trig. tyr. 8, 7; Prudent. cath. 12, 114; August. in evang. Joann. tract. 79, 2). Quos locos addas lexicis Latinis.

Marcor translate dicitur pro *ignavia*, *segnitia* (hanc vocem de eodem Varo, de quo hic sermo fit, invenies 2, 118, 2) 2, 119, 2: exercitus marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunae circumventus. Propria significatione haec vox ponitur pro *languore*, *topore* apud Cels. 3, 20; Sen. quaest. nat. 3, 27, 5; Stat. Theb. 10, 269 (turpis marcor pro somno exstat). Apud Plin. h. n. 22, 22 (46), 94 eandem vim *marcor* habet quam *putredo*. Similiter Vellejus verbo *marcendi* utitur 2, 84, 2: vigebat in hac parte miles atque imperator, in illa marcebant omnia (Ov., Liv.).

Patratio pro *perfectione* usurpatur 2, 98, 2: gentes ferocissimas plurimo cum excidio in pristinum pacis redegit modum ejusque (belli) patratione Asiae securitatem reddidit. Pro *concubitu* ponitur hoc vocabulum apud Theod. Prisc. 2, 11 itemque obsceno sensu apud veterem scholiastam ad Pers. 1, 18 *patratio* est rei Venereae perfectio vel consummatio, unde et patres dicti eo, quod patratione filios procreant.

Praedatio actum praedandi significat 2, 73, 3: latrociniis et praedationibus infestato mari (Tac. ann. 3, 74; 12, 29; Lact.).

Praeparatus pro *praeparatione* exstat 2, 76, 3: praeparatus contra eum Caesaris habuit belli metum; Haase et Halm legunt: apparatus (Gell. 10, 11, 7).

Profectus pro *progressu*, *processu* apud Vellejum primum invenitur 1, 16, 2: ita capacia ingenia in similitudine et temporum et profectuum

semet ipsa ab aliis separaverunt (Liv. 1, 15, 7 nunc editores profecto pro profectu scripserunt; Col., Sen. ep., Quint., Plin. ep., Suet.).

Pythius pro substantivo pro eo, quod est apud Ciceronem: Pythius Apollo vel vates, apud solum Vellejum videtur exstare 1, 2, 1: respondissetque Pythius.

Scalptor dicitur is, qui marmora *scalpit* (a verbo *scalpendi*, quod legitur uno loco apud Cic. de nat. deor. 2, 50, 150) 1, 17, 4: hoc idem evenisse grammaticis, plastis, pictoribus, scalptoribus quisquis temporum institerit notis reperiet (Plin. maj. et min.). Hoc vocabulum jam temporibus, quae sunt ante Vellejum, usu tritum fuisse, quamquam forte quadam non exstat in scriptis, quae ad nostram aetatem permanserunt, suspicandum est.

Transcursus. Vellejus primus frequenter hac voce utitur ad significandam dictionis suae brevitatem, ut 2, 86, 1: quis in hoc transcursu artati operis exprimere audeat? 2, 55, 1: quanto omnia transcursu dicenda sunt; 2, 99, 4: illud etiam in hoc transcursu dicendum est (Plin. h. n. 3, 5 (6), 39; 18, 13 (34), 126). Pro *transcursione* usurpatur apud Sen. quaest. nat. 2, 7, 1; Suet. Aug. 90. —

His vocibus etiam superiores scriptores, sed aliis significationibus usi sunt:

Actus apud veteres scriptores plerumque usurpatur in locutionibus a scena petitis, sed apud argenteae, quae vocatur, aetatis scriptores ponitur de omnibus fere negotiis. Sic uno loco apud Vellejum absolute exstat 2, 127, 4: Tiberius Caesar Sejanum Aelium singularem principalium operum adjutorem in omnia habet, virum severitatis laetissimae, hilaritatis priscae, actu otiosis simillimum (Sen. phil., Quint., Tac., Plin. ep., Suet.; Cic. de legg. 1, 11, 31 nunc legitur pro pravis actibus: ‚pravitatibus'). Hujus vocis notionem per hunc verborum ambitum exprimit scriptor noster 2, 98, 3: qui quae agenda sunt curet sine ulla ostentatione agendi.

Amplexus praeeuntibus poetis (Ov., Verg.) frequenter dicitur de hominibus et est amoris et benevolentiae significatio, ut 2, 123, 3: tum securum se Augustus praedicans circumfususque amplexibus Tiberi sui animam caelo reddidit (Quint., Tac., Suet., Valer. Flaccus). Cic. de divin. 1, 36, 79 hoc vocabulo de serpente utitur (serpentis amplexus); per similitudinem etiam a Livio usurpatur 36, 17, 15: qui (Oceanus) orbem terrarum amplexu finit (Lucr., Plin. maj.).

Animus. *Animum habere* pro: *in animo habere*, *in animum inducere* exstat 2, 4, 4: respondit, si is occupandae reipublicae animum habuisset, jure caesum. — Haec elocutio apud nullum alium scriptorem inveniri videtur.

Assentatio in bonam partem dicitur pro *assensione, commendatione* 2, 128, 3: qui M. Tullio tantum tribuere, ut paene assentatione sua quibus vellet principatus conciliaret (Petr. 17, 1).

Auctoramentum apud Ciceronem contractus est, quo quis se mercede pacta ad aliquid velut ad ludos gladiatorios obligat (cf. Cic. de off. 1, 42, 150); translate ponitur pro quocumque praemio aut pretio, quo se quis ad interficiendum addixit 2, 28, 3: in ea jugulati civis Romani publice constitueretur auctoramentum et 2, 66, 3: auctoramento funebri (Germanice dicimus ‚Blutgeld') ad conservatoris quondam reipublicae tantique consulis invitando necem (Sen. phil., Suet.).

Candor per translationem dicitur pro *animi simplicitate, benevolentia* 2, 116, 5: neque justus sine mendacio candor apud bonos crimini est (Ov., Plin. pan. 84).

Capsus est apud Vitruvium ea pars redae, in qua qui vectantur sedent, apud Vellejum saeptum sudibus factum, quo animalia continentur 1, 16, 2: quemadmodum clausa capso aliove saepto diversi generis animalia congregantur.

Pro captu pro: *habitu, natura* dicitur 2, 104, 3: caelestissimorum ejus (Tiberi Caesaris) operum spectator et pro captu mediocritatis adjutor fui (Sen. de clem. 1, 19, 2; Gell. 1, 9, 3; Velleji et Senecae locos adde lexic. Latinis). Classici scriptores hoc vocabulo non utuntur, nisi in loquendi formula: *ut captus est* sequente genitivo plural. (Cic., Caes.).

Censura pro *judicio* ponitur 2, 36, 3: nam vivorum ut magna admiratio, ita censura difficilis est (Sen. ep., Plin. maj., Juven., Gell., Apul.). Apud veteres scriptores haec vox semper de munere censorio dicitur.

Confinium ab optimis scriptoribus tantum propria significatione de terminis in praediis rusticis usurpari solet. Poetae, ut Ovidius, ad tempus transtulerunt usum hujus vocis; apud Cornific. ad Herenn. 4, 11, 16 primum, deinde apud scriptores, qui post Augusti obitum fuerunt, translate de aliis rebus quasi vicinis dicitur, velut Vell. 2, 124, 1: in quam arcto salutis exitique fuimus confinio (Sen. ep., Quint., Tac., Plin. pan.).

Confusio pro *perturbatione animi* dicitur 2, 124, 1: quae senatus trepidatio, quae populi confusio (Val. Max., Tac., Plin. min.; Cicero hac voce semper utitur pro *conjunctione, permixtione*).

Convictus apud Ciceronem *consuetudinem, contubernium* significat, apud scriptores argenteae, quae vocatur, aetatis pro *convivio* ponitur, velut Vell. 2, 33, 4: Lucullus profusae hujus in aedificiis convictibusque et apparatibus luxuriae primus auctor fuit (Cels., Plin. maj., Tac.).

Digestio pro eo dicitur, quod est *ordinata series* 2, 53, 4: cum a

C. Atilio et A. Servilio coss. tam facilis esset annorum digestio (Plin. maj.). Cic. de orat. 3, 53, 205 ‚enumerat digestionem inter figuras rhetoricas sententiarum et videtur intelligere distributionem, qua pluribus positis, suum singulis redditur membrum, Graece *μερισμὸν* vel *διαίρεσιν*‘. Forcell. De-Vit (Quint.).

Divisio de distribuendis praediis per triumvirorum conscriptionem usurpatur 2, 74, 2: qui instituta divisione (‚bei einer Ackervertheilung‘) praediorum nominatisque coloniis agros amiserant (Tac. ann. 1, 10). Vim *partiendi* habet apud Sall. Jug. 16, 5; inter figuras rhetoricas refertur a Cicerone.

Dominium pro *dominatione, dominatu* ponitur 2, 80, 4: vita rerumque suarum dominium ei concessa sunt (Val. Max., Sen. phil.). Cicero hac voce pro convivio utitur, quia dominus interdum vocatur, qui convivium exhibet.

Electio. Electionem dare pro eo, quod est apud optimos scriptores *optionem dare, facere,* invenitur 2, 72, 5: quippe nullum habentibus statum quilibet dux erat idoneus, cum fortuna non electionem daret (Sen. de prov. 3, 11; Plin. ep. 1, 20, 22). Liv. 34, 19, 3: electionem ferre legitur et 38, 8, 5: electionem relinquere. Cf. Boetticher, lexic. Tacit. p. 171.

Eminentia sensu concreto dicitur de hominibus, qui cujusque artium generis operibus insignes fuerunt 1, 17, 4: eminentia cujusque operis arctissimis temporum claustris circumdata; pro prominentia separatimque in picturis opposita umbris haec vox apud Ciceronem exstat.

Excessus propria significatione ponitur 1, 15, 1: neque proximis post excessum ejus (Hannibalis) annis vacavit Romanis colonias condere; apud Ciceronem semper pro *morte* usurpatur (excessus e vita).

Exitum vitae mortisque habere invenitur 2, 7, 1, rarum et argutum dicendi genus pro: violento mortis genere perire. Cf. Ruhnk. ad 2, 7, 1, qui mortis exitum de violento mortis genere dici exemplis docet.

Finis a Vellejo primo pro fine vitae usurpatur 2, 123, 3: nec quicquam jam de fine, si fata poscerent, recusans. Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 476 et Boettich. lexic. Tacit. p. 199. *Finiri* = *mori* Cic. poeta in Tusc. 1, 48, 115.

Fulgor saepius reperitur apud Vellejum translata significatione, velut: fulgor suus 2, 99, 2; f. avitus 2, 4, 6; f. adventus Caesaris 2, 50, 4; f. carminum 1, 5, 1.

Ingressus apud Vellejum primum proprie exstat praepositione *in* c. accus. addita (‚das Hineingehen‘) 2, 63, 2: sub Antoni ingressum in castra Juventius Laterensis se ipse transfixit (Plin. pan. 5, 4; ep. 16, 17 (28), 4; Auson. edyll. 6. epist. Paulo suo p. 167 ed. Bip.; Spart. Sev.

7, 3 (adde lexic. Latinis); apud optimos scriptores dicitur pro *incessu* (‚das Einhergehen‘).

Maturitas translata significatione ponitur pro *exacta peritia* et *prudentia* (nos: ‚die Reife des Verstandes, reifes Urteil‘), quae cum rebus mature et diligenter expendendis comparantur 2, 125, 3: sed haec omnia veteris imperatoris maturitas brevi sopiit ac sustulit (Tac. hist. 1, 87; Amm. Marc. 14, 1, 10).

Mentionem habere pro eo, quod est apud Ciceronem *mentionem facere* 2, 62, 5: Caesaris nulla mentio habita. Cf. Liv. 38, 56, 7; Ascon. in Cic. in tog. cand. p. 76, 11 ed. Kiessling et Schoell; Liv. ep. 119; Just. 13, 2, 10; Sulp. Sev. ep. 2, 15. — Mentionem jacere 2, 65, 1 (Hor. sat. 1, 4, 94: mentionem injicere).

Meridianus (intell. sol) pro substantivo exstat apud Vellejum primum 2, 126, 3: quicquid meridiano aut septentrione finitur (Flor. 4, 12, 40: haec ad septentrionem: sub meridiano tumultuatum magis quam bellatum est; cf. interpretes ad locos Velleji et Flori; adde Isid. 5, 35, 8). Freundius et Klotzius lexicographi falso nominativum meridianum faciunt.

Observantia propria significatione pro *observatione* dicitur 2, 106, 3: et eadem mira felicitate et cura ducis, temporum quoque observantia, classis exercitui Caesarique se junxit. Apud Ciceronem *observantia* est, per quam aetate aut sapientia aut honore aut aliqua dignitate antecedentes veremur et colimus.

Ordinatio. Haec vox quid in architectura significet, intelligitur ex Vitr. 1, 2, 1: architectura constat ex ordinatione, quae Graece τάξις dicitur et ex dispositione. Pro *institutione, dispositione* ponitur a Vellejo primo 2, 124, 3: primum principalium ejus operum erat ordinatio comitiorum (Col., Plin. ep., Suet.).

Quies pro *somnio* usurpatur 2, 70, 1: medico manifestae denuntiatione quietis territo. Cf. Tac. ann. 1, 65; 2, 14; 12, 13; 16, 1; Stat. Theb. 10, 205 et 324.

Scriptura apud optimos scriptores aut *actum scribendi* significat i. e. *scriptionem*, aut *modum scribendi* i. e. *stilum* (Vell. 2, 52, 3: scripturae modus), sed uno loco apud Vellejum dicitur pro *inscriptione*, qua equestris statua ornatur 2, 61, 3: quae hodieque in Rostris posita (sc. statua equestris) aetatem ejus scriptura indicat. Haec significatio apud nullum alium scriptorem videtur exstare.

Securitas apud optimos scriptores significat *vacuitatem a cura*, unde tranquillus fit animus, apud Vellejum et posteriores ponitur primum subjective in malam partem pro *remissione, negligentia* 2, 118, 2: frequentissimum initium esse calamitatis securitatem (Quint., Tac.); deinde ob-

jective est *rei, in qua quispiam tutus est*, velut 2, 89, 4: rediit securitas hominibus; 2, 98, 1: quem securitatis urbanae custodem habemus; 2, 128, 4: id in tutelam securitatis suae advocet (Plin. maj. et min., Sen. phil., Tac.).

Sensus vim habet *sententiae verbis expressae* 2, 9, 6: sane non ignoremus Pomponium sensibus crebrum (Haase et Halm ‚celebrem' (Stat., Quint., Tac.). Cf. Boettich. lexic. Tacit. p. 424 (Adde locos Velleji et Taciti ad Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 1062). Quae significatio aurea, quae vocatur, aetate poetarum est, vid. Hor. sat. 1, 3, 66.

Series proprie est ordo rerum invicem nexarum et ratione quadam dispositarum 2, 120, 4: complexus catenarum seriem (Curt., Plin. maj., Suet., poster.). Cicero hac voce per translationem videtur uti, ut Vellejus ipse 2, 118, 1: litium series (Plural.)

Situs insolenter de iis rebus dicitur, quae obsoleverunt, in desuetudinem abierunt 2, 126, 2: sepultaeque ac situ obsitae justitia, aequitas, industria civitati redditae. Cf. Gell. 20, 1, 10.

Spiritus praeeuntibus poetis Ovidio et Vergilio de carissimo homine ponitur 2, 123, 3: subrefectus primo conspectu alloquioque carissimi sibi spiritus (etiam Germanice dicitur: ‚mein liebes Leben'). Eadem loquendi ratio reperitur in M. Aurel. Imper. ad Fronton. p. 21 ed. Rom. anno 1823 (= 253, 8 Nab.): Vale, meus spiritus (Adde lexicis Latinis).

Tractus. Hoc vocabulum de cursu et spatio temporis usurpatum Vellejo in deliciis est, cf. 1, 6, 4; 1, 7, 2; 1, 15, 3; 2, 9, 1; 2, 10, 2; 2, 78, 1; 2, 94, 1 (Val. Max., Plin. maj., Tac., vid. Boettich. lexic. Tac. p. 462).

Umbra translate dicitur pro *obscuratione, silentio* 2, 68, 1, cui loco optimam interpretationis quasi medicinam praebuit D. Ruhnkenius. Verba sunt Velleji: neque enim persona umbram actae rei capit, quae ita Ruhnkenius interpretatur: ‚Non talis est persona Coelius, ut taceri ejus acta possint; umbra hic est obscuratio, silentium de illo; non capit est pro: non capax est, non patitur. Rara loquendi forma, cujus exemplum nec ipse reperi nec ab aliis repertum scio.'

Vexillarius apud Livium, qui primus hac voce usus est 8, 8, 4, eum significat, qui *vexillum fert* (adde Tac. hist. 1, 41). Per translationem apud Vellejum primum et saepius apud Tacitum *vexillarii* sunt milites veterani inde ab Augusti temporibus, qui stipendiis XX annorum factis ex legionibus electi aliis adjungebantur, ut res postulabat, quibuscum militabant. Neque solum veterani erant, sed etiam interdum tirones, auxiliarii, equites, qui in. singularem ordinem compositi aliquo mittebantur. Vexillarii autem appellabantur, quia separatim a legionum aquilis sub propriis vexillis stabant. Cf. Boettich. lexic. Tacit. p. 489, ubi omnes

de hoc genere militum sententias expositas invenies. Locus Vellejanus est 2, 110, 6: magnus vexillariorum numerus ad internecionem caesus. Vide etiam Ch. C. L. Lange, hist. mut. rei militaris Rom., Gotting. 1846. 4°. p. 45; Marquardt, Roem. Alterthuem. III, 2 p. 366 sqq.

Vindicta pro *animadversione, ultione* usurpatur 2, 92, 3: consularem si in campum descendissent, vindictam minatus est; 2, 114, 3: admonitio frequens, interdum et castigatio, vindicta rarissima. Eadem significatio hujus vocis reperitur apud Tacitum et Juvenalem; apud veteres scriptores *vindicta* vim *liberationis, defensionis* habet. —

Nonnullas voces vocumque significationes Vellejus a superioribus poetis desumpsit. Sunt hae fere:

Auspiciis alcjs pro: *aliquo duce, imperatore* 2, 39, 1; 2, 40, 1; 2, 129, 4 (Hor., Ov., Verg.).

Commilitium de condicione eorum, qui una militant, fere pro societate militiae dicitur 2, 29, 5: hic a toga virili assuetus commilitio prudentissimi ducis ingenium excoluerat (Quint., Tac., Plin. ep., Just., Flor.). Ovidius primus per translationem hoc vocabulum de societate quacumque posuit in epist. ex Ponto 2, 5, 72: et commilitii sacra tuenda putas [i. e. communionem studiorum] (Apul. flor. 3. no. 16 p. 24, 10 ed. Krueg.).

Dos pro *virtute, commodo* poetarum modo dicitur 1, 12, 3: vir omnibus belli ac togae dotibus eminentissimus saeculi sui (Suet. Tit. 3). Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 384.

Eloquium pro *eloquentia* 2, 68, 1: M. Coelius, vir eloquio animoque Curioni simillimus. Hac voce poetica inter solutae orationis scriptores Vellejus primus usus est (Val. Max. 1, 6. ext. 3; Plin. h. n. 11, 17 (18), 55 et saep.; Sen. de ira 3, 2).

Fragmen vox a poetis (Ov., Verg., Lucr.) saepissime usurpata pro *fragmento* reperitur 2, 3, 2: fragmine subselli ictus vitam immatura morte finivit (Col. 9, 15, 13; Suet. Cl. 18; Ner. 26).

Lima per translationem dicitur pro *emendatione, expolitione* 2, 9, 3: adeo ut in illis plus limae, in hoc paene plus videatur fuisse sanguinis (Hor., Ov., Quint., Plin. ep.). Cf. Cic. Brut. 24, 93: limatius dicendi genus.

Orbis absolute dicitur pro *orbe terrarum* 2, 124, 1: quis orbis metus; et supra in eadem paragrapho: cujus orbis ruinam timueramus (Ov., Verg.). Alter *orbis* 2, 46, 1: alterum paene imperio nostro quaerens orbem ‚eine zweite Welt‘. Cf. Flor. 3, 10, 16: quasi hic Romanus orbis non sufficeret, alterum cogitavit.

Pacta dicitur pro *sponsa* praeeunte Verg. Aen. 10, 79 apud Vellej. 1, 1, 3: quod pactae ejus Hermiones nuptias occupaverat, Delphis eum interfecit.

Praesagium praeeuntibus Ovidio et Vergilio pro *praesensione*, *divinatione* ponitur 2, 57, 1: cum plurima praesagia atque indicia dii immortales futuri obtulissent periculi (Col., Plin. maj., Tac., Suet.).

Priores pro *majoribus* 2, 91, 4: neque hic prioribus in occultando felicior fuit (Verg., Ov., Col., Plinii ambo).

Sanguis concreto sensu usurpatur pro liberis aliisque recta linea ascendentibus aut descendentibus 1, 10, 5: quae vox magna parte eum spoliavit sanguinis sui (Verg., Hor., Liv. 40, 5, 1; Val. Max., Tac., Curt.). Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 1041.

Superi dicuntur homines, qui in terra sunt, oppositi inferis, i. e. iis, qui extra terram versantur, i. e. mortuis 2, 48, 2: quam apud superos habuerat magnitudinem, illibatam detulisset ad inferos. Cf. Verg. Aen. 6, 481 et 680. —

Jam apud superiores scriptores, in primis apud Sallustium et Livium iisdem significationibus, quibus apud Vellejum, sed rarius inveniuntur substantiva haec:

Acies equestris, rarum dicendi genus, usurpatur 2, 112, 5: fugata regiorum equestris acies, fugatae alae, conversae cohortes sunt (Auct. b. Afr. 38, 4: acies equestris; Liv. 8, 39, 1: acies equitum).

Adjutorium pro *auxilio* 2, 112, 4: magnam Thracum manum in adjutorium ejus belli secum trahebat. Hac voce Ciceronem translata significatione usum fuisse Columella de re rust. 12. praef. 1 testatur (‚adjutoria senectutis'), sed, utrum ille scriptor Ciceronis verba ipsa attulerit, an memoriter locutus sit, in incerto est (Asin. Poll. apud Suet., Sen. phil., Quint., poster.).

Aemula subst. gen. fem. 1, 12, 6: Romani imperi Carthago aemula; 2, 1, 1: remoto Carthaginis metu sublataque imperi aemula (Ov., Sall. Cat. 10, 1).

Aevum pro *aetate*, *tempore* dicitur 1, 17, 2; 2, 9, 3; 2, 13, 2; 2, 26, 1 (aevi paterni Halm, Kritz et Haase ingeni paterni); 2, 36, 3; 2, 66, 5; 2, 89, 6 (aevi spatium = vitae spatium) (Poet., Sall., alii; cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 105).

Alloquium pro *sermone* 2, 123, 3: subrefectus primo aspectu alloquioque (Poet., Liv.).

Alveus pro *lintre*, quam vocem invenies 2, 107, 2, ponitur 2, 107, 1: cavatum, ut illis mos est, ex materia (i. e. ex uno arboris trunco, Graece ‚*μονόξυλον πλοῖον*') conscendit alveum (Liv. 1, 4, 6; 21, 26, 9).

Appellatio pro *nomine* 2, 125, 5: ornamenta triumphalia cum appellatione imperatoria meruit (Cic.).

Arundinetum 2, 19, 2: extractus arundineto Marius circa paludem

Maricae. Adde lexic. Latin., qui locos ex scriptt. r. r., Plin. maj., Suet. attulerunt.

Auctus proprie dicitur pro *incremento* 2, 129, 4: magni etiam terroris bellum Africum et cotidiano auctu majus sepultum est (Liv. 4, 2, 2; 29, 27, 3); translate exstat 2, 40, 5: hujus viri fastigium tantis auctibus fortuna extulit (Varro, Poetae, Tac., vid. Boettich. lexic. p. 74).

Caligo translate usurpatur pro usitato vocabulo *tenebrae* 2, 36, 1: omnibus viris magnitudine sua inducturus caliginem (i. e. tenebras obducturus).

Claritudo pro *claritate* 2, 11, 3: ut paulo ante Domitiae familiae, ita Caeciliae notanda claritudo est; 2, 17, 2: cum familiae ejus claritudo intermissa esset; 2, 130, 1: qui quod unquam claritudine eminuit, id veluti cognatum censet tuendum (Cato fr., Sall., Tac., cf. Boettich. lexic. Tac. p. 90).

Claustrum (singularis forma Curt. 4, 5, 21; 7, 6, 13), cujus pluralis *claustra* per translationem ponitur 1, 17, 4: eminentia cujusque operis arctissimis temporum claustris circumdata (Cic. pro Mur. 8, 17: claustra nobilitatis perfringere; Posteriores).

Coërcitio 2, 47, 3: sed ejus consulatus omnem vim in coercitionem ambitus exercuit; 2, 121, 1: cum dissensiones coercitione magis quam poena mollisset (Liv. 4, 53, 7; 26, 36, 12; Cels., Sen. phil., Quint., Tac., Suet.).

Commeatus est *venia etiam extra rem militarem* 2, 99, 2: commeatum a socero petiit. Cf. Gronov. ad Tac. Agric. 5, qui locum affert ex Cic. Verr. 5, 43, 111: Syracusis remansit in commeatu. De venia in re militari exstat 2, 11, 2.

Consortio addito genitivo 2, 99, 1; 2, 103, 3: consortio tribuniciae potestatis (Liv.). Cicero hac voce absolute utitur de off. 3, 6, 26: humana consortio.

Contemptus pro eo, quod apud Ciceronem est *contemptio* 2, 60, 3: neque is erat contemptus, sed metus. Passivo sensu exstat Caes. b. G. 2, 30, 4: contemptui esse, activo apud Auct. b. Alex. 74, 3 (Liv., alii).

Excidium pro *excisione, eversione* 2, 4, 3: nec quisquam ante eum clariore urbium excidio nomen suum perpetuae commendavit memoriae; 2, 98, 2: plurimo cum earum (gentium) excidio; — pro *interitu* 2, 30, 1: partibus suis excidium, sibi mortem auctoravit (Poet., Sall. hist. 1, 9; 4 61, 12 [D.]; Liv.).

Facundia aliquid differt ab *eloquentia*, ut ex Quint. 1. prooem. 23 intelligitur: est enim facundia facilitas dicendi et copia, eloquentia addit insuper, ut bene apteque facilitas illa et copia adhibeatur. Jam Varro de ling. lat. 6, 7 ita distinguit, ut interpretetur *facundos* esse, qui *fentur*,

eloquentes, qui *facile et bene.* Pro hac *facilitate dicendi* exstat facundia apud Vellejum 2, 22, 3: gladiis militum, quos ipsos facundia sua moratus erat, confossus est (praecedunt verba: Marcus Antonius princeps civitatis atque eloquentiae). Saepe tamen *facundia* dicitur pro *eloquentia*, ut apud Ovidium (ep. ex Ponto 2, 5, 55), apud Sallustium (Jug. 63, 3 et saepius), apud Celsum et Posteriores. Cicero et Caesar hanc vocem prorsus repudiaverunt.

Globus ponitur pro multitudine hominum quasi in unius corporis formam coacta 2, 58, 2: hi (Brutus et Cassius) una cum conjurationis globo Capitolium occupavere (Verg., Nep., Sall., Liv., Curt., Tac.).

Grates solvere Dianae 2, 25, 4: pro eo, quod est apud Ciceronem *grates agere*; *grates* semper dicitur de gratiis solemniter deis actis. Grates persolvere Verg. Aen. 2, 537; grates exsolvere Tac. ann. 14, 13. — In *gratiam* alcjs 2, 18, 3; 2, 41, 2, Graece εἰς χάριν τινός, cf. Kuehnast, Livian. Synt. p. 381. Adde Suet. Tib. 49.

Inquilinus dicitur, qui in alieno habitat nullo possidendi jure 2, 128, 2: Catonem, novum etiam Tusculo urbis inquilinum (Sall. Cat. 31, 7; Suet., Just.).

Juventa poetarum vox jam inde a Livio ponitur pro *juventute* 2, 102, 1: quem (M. Lollium) veluti moderatorem juventae fili sui Augustus esse voluerat; 2, 129, 2: quibus juventam ejus exaggeraverat honoribus (Cels., Tac.). — *Juventus* semper a Vellejo dicitur pro *juvenibus*, velut 1, 4, 3; 2, 1, 4.

Mamilla, deminutivum a mamma, invenitur: 2, 70, 5: cum mucronem gladi sinistrae admovisset mamillae (Varro de r. r. 3, 14, 2; Juven. 6, 401; 13, 163; sed Varro de r. r. 2, 3, 2 Schneiderus scripsit: mamullas).

Ministerium praeeuntibus poetis et Livio usitatissimum est apud posteriores scriptores. Cf. Vell. 2, 45, 4: honorificentissimo ministeri titulo; 2, 93, 3: ministeria principalia; 1, 111, 3: speciosi ministeri locus; 2, 116, 3: splendididissima ministeria; 2, 127, 2: ministeria.

Molimentum semel a Caesare (b. G. 1, 34, 3 ed. Nipperd.) et saepius a Livio usurpatum vocabulum exstat 2, 78, 1: quas (provincias) magnis molimentis Labienus concusserat.

Munificentia a Ciceronis et Caesaris consuetudine aliena vox, sed a Sallustio frequentata, apud Vellejum reperitur 8, 41, 1; 2, 81, 3; 2, 126, 4; 2, 130, 1.

Quo *nomine* hoc est: qua de causa 1, 3, 2; 1, 5, 3; 2, 20, 3 (Quint.); eo nomine 2, 104, 2; nullo nomine 2, 69, 3.

Occursus pro *occursatione*, *obviam itione* 2, 47, 4: contracta ex occursu rixa (Ov., Liv. 5, 41, 5; Sen. phil., Pl. maj., Tac., Suet. Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 792. Adde Ov. met. 14, 256).

Pace alcjs dixerim (cf. Zumptii Gramm. Lat. § 527), quae locutio Vellejo in deliciis est, cf. 1, 7, 4; 1, 17, 3; 2, 129, 3.

Penates metonymice dicitur pro *aedibus* 2, 74, 4: subjecto rebus ac penatibus igni. Cf. Cic. pro Rosc. Amer. 8, 23; Liv., Curt., Tac.

Ex persona 1, 3, 2 et 3; Cic. de inv. 1, 52, 99; Gell. 10, 22, 1; Lact. epit. 48, 7 — *sub persona* 1, 3, 2; Suet. Dom. 10; Gell. 10, 22, 24; 13, 23 (22), 11. Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 855.

Plastes eum significat, qui vasa vel statuas aliave opera ex argilla et gypso fingit 1, 17, 4: hoc idem evenisse grammaticis, plastis, pictoribus, scalptoribus (Vitr. 1, 1, 13; Plin. maj., poster.).

Recessus plurali casu sensu concreto pro *loco remoto*, *latebra* ponitur 2, 32, 4: descripto in omnis recessus maris praesidio (Ov. saepius; Liv. 38, 45, 9). Singularis numerus hujus vocis exstat apud Ciceronem (ad Att. 12, 26 § 2, corrige Klotzium), Livium, alios.

Regimen teste Festo p. 278 (6), 3 ed. Mueller pro *regimento* usurpatur a poetis. Concreto sensu semel apud Ovidium (met. 3, 593) pro *gubernaculo* navis exstat. Solutae orationis scriptorum primus usurpavit *regimen* Livius (3, 33, 7; 4, 31, 5), deinde Vellejus 2, 85, 2: classis Antoni regimen Publicolae Sosioque commissum (Val. Max., Tac., cf. Boettich. lexic. p. 405).

Romanae fem. plur. subst. Vell. 2, 75, 3; singul. forma ‚Romana‘ Liv. 1, 26, 4.

Rudimentum primum principium cujuslibet artis vel disciplinae significat 2, 129, 2: Germanicum imbutum rudimentis militiae recepit (Poet., Liv., poster.).

Simplicitas praeeuntibus Ovidio et Livio vox usitatissima est inde a Vellejo translata significatione pro *probitate*, *veritate* posita 2, 10, 2: nobilissimae simplicitatis; 2, 43, 4: humana simplicitas; 2, 72, 3: nobilissimae simplicitatis; 2, 125, 5: simplicitatis generosissimae (Val. Max. 2, 5, 5; poster.).

Temperamentum pro *temperatione* apud optimos scriptores rarius ponitur (cf. Cic. de legg. 3, 10, 24), a posterioribus frequentatur. Vell. 2, 130, 1: quam magnifico animi temperamento Pompeji munera instituit (Col., Plin. maj., Tac., Just.).

Tempestas poetarum more pro *tempore*, ut saepissime apud Sallustium et Livium, exstat 1, 2, 3; 1, 8, 6; 2, 78, 3. Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 1129.

Titulus translate pro *praetextu*, *specie* usurpatur 2, 45, 4: sub titulo ministeri M. Catonem a republica relegavit (Ov., Verg., Liv. 3, 67, 9).

Ultio, qua voce Livius primus videtur usus esse, a posterioribus

scriptoribus frequentata est. Cf. Liv. 7, 30, 14; 31, 24, 1; Vell. 2, 7, 6; 2, 65, 1: 2, 125, 3; Val. Max. 6, 3, 11; poster.).

Veneratio apud optimos scriptores plerumque de deis ponitur (cf. tamen Cic. de nat. deor. 1, 17, 45: habet venerationem quicquid excellit), apud posteriores omnino pro *reverentia, honore*, ut Vell. 2, 41, 3: ut pariter iis (piratis) terrori venerationique esset; 2, 92, 4: praesentia invidia, praeterita veneratione prosequimur (Plin. ambo, Tac., Curt.).

Victoria ex alqo rarius dicitur pro *victoria de alqo* 2, 10, 2: Domiti ex Arvernis et Fabi ex Allobrogibus victoria fuit nobilis. — *Victor* belli 2, 55, 2; certaminum 2, 8, 2. Cf. Krebs-Allg. Antibarb. ed. V. p. 1201.

Vigor 1, 10, 3: vigor eloquentiae; 2, 18, 5: vigor ingeni atque animi; 2, 50, 4: vigor ac fulgor; 2, 98, 3: vigor ac lenitas; 2, 127, 3: vigor animi (Poet., Liv., poster. Pluralis forma exstat apud Vitruvium).

Violatio, quae vox a Livio primo usurpatur (29, 8, 11; 31, 12, 5) exstat apud Vellejum 2, 1, 5: dicentes publicam violationem fidei non debere unius lui sanguine (Sen. ep. 104, 28). *Violator* reperitur 2, 100, 4: violator ejus domus (Ov., Liv., Tac., Hyg. fab. 100; Vulg. Judith. 9, 2; Ambr. off. 1, 50, 257).

Visus objectivo sensu dicitur omnino pro *specie* i. e. toto corporis habitu 2, 94, 3: visuque praetulerat principem (Cic. de nat. deor. 1, 5, 12; Liv. 8, 9, 10; Tac. Agr. 45).

Votum pro *voluntate, optato* ponitur jam a Cicerone (Verr. 5, 54, 142); frequentissima haec vocis significatio est apud poetas Augusteae aetatis (apud Livium invenitur 35, 42, 5) et solutae orationis apud scriptores posteriores Tacitum, Curtium, Plinium minorem, Suetonium. Apud Vellejum invenitur 2, 22, 4; 2, 40, 2; 2, 89, 2; 2, 125, 1. —

Non nullae mihi visae sunt dignae, quae afferantur, formae substantivorum, quae aut a consuetudine optimorum scriptorum abhorreant aut apud illos rarissime inveniantur.

Accusativus sing. num. *primae declinationis* in nominibus propriis in *e* et *es* exeuntium finitur apud Vellejum in *en*, velut: Cymen 1, 4, 4; Mithridaten 2, 24, 1 (Mithridatem 2, 23, 6), Mytilenen 1, 4, 4; Tigranen 2, 33, 1; Persen 1, 11, 1 (Persam 1, 9, 4); Artavesden 2, 82, 3.

Formae *accusativi* singularis *tertiae declinationis*: Alcmana 1, 18, 3; Chalcida 1, 4, 1; Colophona 1, 4, 3; Dido 1, 6, 4 (Sil. Ital. 8, 231); Myuntem 1, 4, 3.

Formae *ablativi*: classi 2, 79, 2: classe 2, 79, 1; cf. Kritzium ad locos et Neue, Formenlehre d. Latein. Sprache, 2. Aufl. I. p. 213; igni 2, 74, 4; igne 2, 125, 4; cf. Neue I. p. 220.

Genitivi formae insolentiores: plebei 2, 111, 3 (forma vetustior a no-

minativo plebes); civitatium 2, 42, 2; cf. Neue I. p. 268. — De *genitivo secundae declin.* vocabulorum in *ius* et *ium* exeuntium vide Kritzii Proleg. ad Vell. p. CXXII (Octavi, imperi, similia).

Nominativus plur. *joci* 2, 67, 4 praeeuntibus poetis et Livio contra consuetudinem Ciceronis, qui dicit: ‚joca'. Cf. Neue I. p. 544. — *loci* 1, 4, 4; 2, 107, 3; 2, 108, 2; 2, 116, 1 praeeuntibus poetis et Sallustio, cf. Neue I. p. 543.

De *accusativo* plur. *tertiae declin.* eorum vocabulorum, quae genitivum plur. in *ium* exeuntem habent, cf. Kritzii Proleg. ad Vell. p. CXXIII (Gadis, Alpis, similia).

Feminini generis est substantivum *dies* 2, 18, 2; 2, 21, 1; 2, 27, 3; 2, 42, 2; 2, 104, 1; *mascul. generis* 2, 27, 6; 2, 29, 2; 2, 35, 1; 2, 112, 7. Cf. Reisig. Gramm. Lat. p. 148 not. 168^b; Kuehnast, Liv. Synt. p. 33; Neue I. p. 681. — *Linter mascul. generis* est 2, 107, 2 (Tibull. 2, 5, 34). Cf. Neue I. p. 657.

Aeolii pro: *Aeoles* 1, 4, 4; hanc formam praeter Vellejum Servius ad Verg. Aen. 3, 445 semel habet. — *Honos* 2, 37, 5; 2, 89, 4; honor 2, 61, 3; 2, 122, 2; 2, 126, 4. Cf. Neue I. p. 170. — *Teutoni* 2, 8, 3; Teutonis 2, 12, 2; tamen Teutonum gen. plur. 2, 18, 4. Cf. Kritz ad Vell. 2, 18, 4 et Kraner ad Caes. b. G. 1, 11, 6. — *Cervix* singulari numero invenitur 2, 6, 6; 2, 69, 2 ea ratione, ut singularis usurpetur propria significatione, pluralis translata, ut apud Livium, cf. Weissenborn ad Liv. 35, 11, 7. Adde Vellejum in Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 223. — Pluralis forma *cervices* exstat Vell. 2, 131, 2.

Frequentissime substantiva abstracta, quae vocantur, apud Vellejum in plurali numero posita sunt, quorum usus quam late pateat, Draegerus in syntaxi historica I. p. 9 sqq. exemplis docuit. Apud Vellejum inveni haec: *)

actiones 2, 44, 5; 2, 64, 3 (b). — aestimationes 2, 127, 4 (b). — aetates 2, 89, 1 (b). — apparatus 2, 33, 4 (b). — *arbitria 2, 50, 3. — assentationes 2, 82, 4 (b). — amplexus 2, 123, 3 (c). — auctus 2, 40, 4 (c). — *casus 1, 3, 1; 2, 75, 2. — *castigationes 2, 125, 3 (Haase). — *censurae 2, 128, 2. — cogitationes 2, 41, 1 (b). — condiciones 2, 48, 5 et saep. (b). — *clientelae 2, 29, 1; abstr. pro concreto. — consulatus 2, 12, 3 (c). — contentiones 1, 11, 6; 2, 43, 3 (b). — *commercia 2, 65, 1. — *commoda 2, 13, 2. — convictus 2, 33, 4 (c). — criminationes 2, 77, 3 (b). — *damna 2, 126, 4. — *dilectus 2, 111, 1. — difficultates 2, 120, 2 (b). — dilationes 2, 79, 1 (b). — disciplinae 1, 13, 3 (b).

*) Substantiva abstracta *stellula signata Draegerus omisit; litteris (a) (b) (c) definitur ordo, in quem a Draegero redacta sunt.

— discordia 2, 3, 3 (b). — *dolores 2, 130, 4. — *emptiones 2, 81, 3. — errores 2, 4, 4 (b). — eruptiones 2, 47, 1 (c). — exempla 2, 116, 1 (b). — exercitationes 2, 79, 1 et 2 (b). — *expeditiones 2, 31, 2. — experimenta 2, 94, 4; 2, 116, 1 et 3 (b). — *expugnationes 2, 98, 2 et saep. — exsecrationes 2, 46, 3 (b). — facultates 2, 82, 4 (b). — fata 2, 57, 3 (c). — flagitia 2, 91, 3 (b). — *foedera 2, 1, 4. — fraudes 2, 92, 2 (b). — *incrementa 2, 34, 3; 2, 51, 3. — *indicia 2, 57, 1; 2, 83, 2. — ingenia 2, 9, 3 et saep. (b). — inimicitiae 2, 45, 1 (b). — initia 2, 48, 1 et saep. (b). — injuriae 1, 8, 4 (b), — judicia 2, 8, 1 et saep. (b). — jura 2, 28, 4 (b). — *jurgia 2, 33, 2. — jurisdictiones 2, 117, 4 (b). — libidines 2, 48, 4 (b). — *mandata 1, 10, 2. — medicamenta 2, 129, 3 (b). — ministeria 2, 116, 3 (b). — molimenta 2, 78, 1 (b). — mollitiae 1, 6, 2; 2, 88, 2 (b). — *mores 1, 13, 3. — motus 2, 3, 1 et saep. (b). — mutationes 2, 75, 2 (b). — offensae 2, 29, 3 (c). — offensiones 2, 93, 3 (b). — opportunitates 2, 111, 4 (b). — oppugnationes 2, 95, 2 (b). — ordines 2, 112, 6 (b). — pericula 2, 35, 4 (b). — praedationes 2, 73, 3 (c). — principia 2, 123, 3 (b). — profectus 1, 16, 2 (b). — quaestiones 2, 7, 3 (b). — rapinae 2, 83, 2 (b). — recessus 2, 32, 4 (b). — ruinae 2, 19, 4 (b). — saecula 1, 5, 3 (b). — sensus 2, 9, 6 (b). — *series 2, 118, 1. — solitudines 2, 55, 4 (b). — studia 1, 13, 3 (b). — tempora 2, 114, 3. — terrores 2, 4, 5 (b). — triumphi 1, 9, 3 (b). — usus 2, 81, 3 (b). — victoriae 2, 46, 1 (b). — virtutes 2, 2, 2 et saep. (b). — vires 1, 4, 2 et saep. (b). — vitia 2, 10, 1 et saep. (b). — voluptates 2, 48, 4.

Ex substantivis ‚materialibus' unum inveni exemplum plur. 2, 131, 1: perpetuorum custos Vestae ignium.

Exempla, in quibus abstractum pro concreto ponitur, apud Vellejum reperiuntur haec:

*Aevum pro hominibus, qui aliqua aetate vivunt 2, 13, 2; 2, 96, 3; 2, 31, 1: major aevo (Haase et Halm: cive). — clientelae pro clientibus 2, 29, 1 (Cic. fam. 15, 4, 15; adde Draeg. hist. Synt. I. p. 19). — per colloquia = per interpretes 2, 63, 1. — custodiae pro custodibus 2, 88, 2; 2, 111, 4 (Cic. Verr. 3, 24, 60; Catil. 1, 3, 8; Caes. b. G. 4, 4, 4 et saep.; Liv., al. Cf. Klotz. lexic. Latin.). — *eminentia pro eminentibus viris 1, 16, 2 (Haase et Halm). — *ingenia pro ingeniosis viris 1, 16, 2 et 4; 2, 9, 3; pro scriptoribus 2, 36, 3 (sing. ingenium pro concreto Cic. Brut. 40, 147; de rep. 2, 1, 2; Liv. 21, 4, 3; plur. Plin. ep. 6, 21, 1; 7, 9, 7; Suet. Aug. 89; Vesp. 17). — *mediocritas pro viro mediocri 2, 104, 3: mea; 2, 111, 3: nostra. — munitio 2, 23, 3: munitiones multiplices (Cic. Verr. 4, 53, 118; Phil. 13, 9, 20; Sall., Tac.).

— *posteritas = posteri 2, 66, 5 (Cic. de amic. 4, 15; ad Att. 12, 19, 1). — progenies = prognati 1, 2, 1 (Cic. Tusc. 1, 35, 85; Tim. 11 init.; pro Caelio 14, 34; Liv. 1, 16, 3). — reditus plur. 2, 39, 2; 2, 107, 3; 2, 114, 5 (Liv. saep.). — *saeculum pro hominibus, qui aliqua aetate vivunt 2, 11, 1.

Substantiva deminutiva, quae vocantur, apud Vellejum exstant: cultellus 2, 14, 1 (Varro, Col., Plin. maj., Suet.). — libellus (Billet) 2, 57, 2 (Cic.). — mamilla 2, 70, 5 (cf. p. 19). — navicula 2, 107, 2 (Cic.). — particula 1, 16, 1 (Cic.).

De ipsa ‚substantivorum collocatione' moneo apud Vellejum cognomen ante nomen saepissime poni, velut Rufinus Cornelius 2, 14, 6; Mancinus Hostilius 2, 1, 4; Acidinus Manlius 2, 8, 2; cf. quos locos Kritzius ad Vell. 2, 26, 2 diligentissime contulit. Non numquam apud Ciceronem, rarissime apud Caesarem et Sallustium quum haec cognominis collocatio inveniatur, jam inde a Vellejo in usu esse coepit. Cf. Draeger, Ueber Stil u. Syntax des Tacitus p. 75. § 221.

De Adjectivis.

Adjectiva, quae apud Vellejum primum videntur exstare, sunt haec:

Caeruleatus (ἅπαξ εἰρημένον) pro eo ponitur, quod est caeruleo colore obductus 2, 83, 2: Plancus cum caeruleatus et nudus, caputque redimitus arundine et caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset in convivio (i. e. colore caeruleo obductus, quali putabantur esse dei marini).

Favorabilis passiva significatione dicitur pro: *cui favetur*, *gratiosus* 2, 34, 2: Luculli et Metelli triumphum invidia Pompeji fecit favorabilem; 2, 40, 2: cujus (Pompeji) reditum favorabilem opinio fecerat (Val. Max., Sen. phil., Quint., Tac., Plin. ep., Suet., Flor.).

Fulgens Part.-Adjectivum, cujus superlativi forma tantum videtur exstare, apud Vellejum invenitur 2, 39, 1: fulgentissimum Caesaris opus; 2, 64, 3: fulgentissimo et caelesti ore; 2, 71, 1: Messala fulgentissimus juvenis (Val. Max. 1, 1, 10: plaustrum illud fulgentissimi triumphalis currus gloriam aequavit; 3, 5, 1: duo fulgentissima cognomina patris et patrui).

Inimitabilis pro: *quem imitari non possumus* 2, 97, 3: morum certe dulcedo ac suavitas et adversus amicos aequa ac par sui aestimatio inimitabilis fuisse dicitur (Quint.; Ambr. de viduis 8, 43. Adde lexic. Latin.).

Lacernatus pro: *lacerna indutus* 2, 80, 3: quippe cum inermis et lacernatus esset (Juv. 1, 62; Petr. 69, 5). Vell. 2, 70, 2: lacerna caput circumdedit. Lacernà enim est vestis cucullata crassior, quam in militia et itinere milites ad arcendum frigus et pluviam gestabant.

Prosus. Prosa eloquentia pro soluta oratione (Cic.) 1, 17, 3: perfectum prosae eloquentiae decus. Prosa oratio exstat: Col. 11, 1, 1; Plin. h. n. 7, 56 (57), 205; Sen. ep. 94, 27; Quint. 1, 5, 18; Suet. Aug. 85; Claud. 1.; Dom. 4.

Sacerdotalis 2, 124, 4: quo tempore mihi fratrique meo, candidatis Caesaris, proxime a nobilissimis ac sacerdotalibus viris destinari praetoribus contigit (Orelli Inscr. 4981: sacerdotalis vir; Plin. ep. 7, 24, 6: sacerdotales ludi).

Recisus Part.-Adject. per translationem de opere scriptoris dicitur pro: *brevis* 2, 89, 1: ne in operis quidem justi materia, nedum hujus tam recisi digne exprimi potest. Cf. Plin. ep. 1, 20, 8: ea recisa et repurgata in unum librum coartasse. Ad tempus refertur apud Hadr. imp. ap. Callistr. dig. 47, 21, 2.

Subrefectus (ἅπαξ εἰρημένον), ab inusitato verbo subreficio derivatum adjectivum, pro *aliquanto refecto* exstat 2, 123, 3: subrefectus primo conspectu alloquioque carissìmi sibi spiritus.

Teutonicus i. e. ad Teutonos pertinens 2, 120, 6: (hostium) qui Cimbricam Teutonicamque militiam Italiae minabantur (Val. Max. bis; Claudian. in Eutrop. bis; Frontin. 1, 2, 6; Prop. et Mart.). —

Non nulla deinde Vellejus adjectiva habet eorumque significationes, quae apud superiores poetas frequentius inveniuntur:

Actiacus i. e. ad Actium urbem pertinens 2, 86, 2; 2, 88, 1: bellum (Ov., Verg., Plin. maj., Tac., al.).

Capax absolute dicitur 1, 62, 2: capacia ingenia cujusque clari operis (Ov., Hor., Lucr., Sil. Ital., Plin. ambo, cf. Klotzii lexic. Latin.).

Distractus i. s. q. *negotiis occupatus* 2, 114, 1: tamquam distractissimus ille tantorum operum mole huic uni negotio vacaret animus (Lucr. 4, 691 ed. Lachm.: et divisior inter se ac distractior actus).

Genitalis apud poetas superiores vim habet gignendi, ut apud Lucr. 2, 62 et Ov. met. 15, 239 genitalia corpora sunt elementa, ex quibus omnia gignuntur et apud Verg. georg. 2, 324 dicuntur genitalia semina. Inter solut. orat. scriptores primus usus est hoc adjectivo Vellejus pro: *natalis* 2, 7, 7: cum viderent tanto potentiorem Tyro Carthaginem, Cyzicum ac Byzantium Mileto genitali solo (‚Mutterland, Vaterstadt'). Item genitale solum invenitur: Amm. Marc. 17, 12, 21; Cassiod. var. 1, 42 et 43; Vopisc. Aur. 3, 2. Similiter dicitur genitalis sedes pro: patria

Prud. cath. 10, 167. — Genitalis dies pro: dies natalis Tac. ann. 16, 14.

Geticus. Geticum bellum 2, 59, 4 (Ov., Stat.).

Germanus pro: *Germanicus* 2, 106, 2: fracti Longobardi, gens etiam Germana feritate ferocior (Ov., Pers.).

Hirtus atque *horridus*. Haec vocabula, quae proprie hirsutum, horrens crinibus (‚struppig') significant, transferuntur a Vellejo ad ingenium et mores inculti et ab elegantia urbana alieni Marii 2, 11, 1: C. Marius, hirtus atque horridus vitaque sanctus. Cf. Hor. ep. 1, 3, 22: ingenium non incultum nec turpiter hirtum. *Horridus* eadem significatione, qua apud Vellejum, etiam apud Ciceronem exstat (Brut. 31, 117: Tubero ut vita sic oratione durus, incultus, horridus).

Iliacus pro: *Trojanus* 1, 3, 2: qui Iliaca componentes tempora de ea regione commemorant [i. e. res Iliacis temporibus gestas describentes] (Verg., Ov., Hor., Sil. Ital., alii poetae).

Impatiens praeeuntibus Ovidio et Vergilio inter prosae orationis scriptores videtur exstare apud primum Vellejum, qui adjectivo genitivum adjungit 2, 23, 1: vir quietis impatientissimus (Col., Sen. phil., Plin. maj., Tac.). Locus, quem Klotzius in lexico Latino ex Liv. 5, 37, 4 (Klotz falso 5, 38) affert, nunc correctus est ibique legitur ‚impotens est'.

Ineluctabilis 2, 57, 3: sed profecto ineluctabilis fatorum vis consilia corrumpit. ‚Ex Verg. Aen. 8, 334. Pro quo Liv. 8, 7, 8: inexsuperabilis vis fati; Ovid. met. 15, 807: insuperabile fatum; Curt. 10, 1, 30: inevitabilis sors fati. *Ineluctabilis* in soluta oratione etiam dixerunt Sen. nat. quaest. 6, 7, 2 et Arnobius 7, 11 init.' Ruhnkenius.

Interritus pro: *non perterritus, non timidus* 2, 70, 2: extentamque cervicem interritus liberto praebuit (Verg., Ov., Sen. phil., Quint., Tac., Plin. min.).

Rasilis pro: *perpolitus, levigatus* 2, 56, 2: triumphi Hispaniensis apparatus argento rasili constitit. Intelliguntur simulacra et fercula ex argenteis laminis politis, levigatis non caelatis (Verg., Ov., Plin. maj.).

Rebellis eum significat, qui in deditionem acceptus bellum renovare studet 2, 90, 1: Delmatia annos viginti et ducentos rebellis (Verg., Ov., Val. Max., Tac., poster.). —

His adjectivis Vellejus significationem aut structuram ab optimorum scriptorum consuetudine abhorrentem imposuit:

Aequus quam pro: *aequus atque* ponitur 2, 121, 1: postulante patre ejus, ut aequum ei jus in omnibus provinciis exercitibusque esset, quam erat ipsi. Quum primum apud Plautum (Mil. 2, 5, 55 [465]; Epid. 2, 3, 2), deinde apud Livium (5, 3, 4; 31, 1, 3) et posteriores aeque . . . . quam

componantur, quod in adverbio fert usus, ad adjectivum transtulisse Vellejus videtur. Cf. Hand Turs. I. p. 191. — Hoc loco silentio non praeteream locutionem, quae est *alius .... quam*, in sententiis affirmativis non modo apud Livium exstare (Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 122 Liv. 39, 28, 1 affert), sed jam inveniri Sall. Jug. 82, 3. Adde Liv. 1, 56, 7; 31, 35, 7; Plin. ep. 2, 4, 1; 7, 15, 2; pan. 58. — Post *non alius, quid aliud* a Cicerone semper positum esse ‚*nisi*' optimis codicibus patet. Quare omnibus locis, quos Klotzius in lexic. Lat. attulit, quibus *quam* scripsit, ab Halmio ‚*nisi*' in textum inductum est. Sed a Nepote et Livio saepius *non alius quam*, *quid aliud quam* dicitur, cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 122. Vellejus dixit *non alius quam* 2, 12, 2; 2, 71, 2; *quid aliud quam* 2, 53, 4. — *Non dissimilis quam* 2, 55, 2.

Auspicatus a Cicerone de eo dicitur, quod auspicio rite capto consecratum est, a Vellejo plane pro *fausto, felici* ponitur 2, 79, 2: auspicatis ominibus aliquam ducere uxorem (Catull., Plin. maj., Quint., Tac.).

Citerior adject., quod a Cicerone tantum ad spatium refertur, Vellejus relatum habet etiam ad tempus 1, 17, 2: ut nec poetarum in antiquius citeriusque processit ubertas (Val. Max. 6, 3, 11: citeriorem delicto praebuit ultionem; 8, 15, 1: superiori Africano consulatus citerior legitimo tempore datus est).

Celeber Ciceronis aetate semper de rebus, numquam de personis usurpatum fuisse docet Allgayer in Krebsii Antibarb. p. 219 (Cicero dixit ‚nobilis'). Sed jam inde a Livio (cf. Kuehn. p. 340) celeber de hominibus, qui in honore sunt, dicitur, qui usus apud Vellejum est frequentissimus, v. c. 2, 9, 2; 2, 16, 2; 2, 18, 5; 2, 22, 4; 2, 26, 2; 2, 34, 1; 2, 78, 3 (Suet. Ner. 7).

Effusus pro: *amplus, spatiosus*, in primis de maris amplitudine fere poetice ponitur 2, 43, 1: effusissimum maris Adriatici sinum. Cf. Hor. epist. 1, 11, 26; Tac. Germ. 30. Cicero utitur hoc adjectivo pro: *profusus*, qua significatione etiam apud Vellejum exstat 2, 41, 1: munificentia effusissimus (Halm et Kritz; munificentiae Haase).

Fatalis mors 2, 4, 6 et 2, 49, 1 est, quae fato destinata secundum naturam venit et opponitur violentae. Cf. Plin. ep. 1, 12, 1. Fato obire (Germanice: ‚eines natürlichen Todes sterben') Tac. ann. 14, 62; fataliter mori Eutr. 1, 11.

Inexpugnabilis adject., quod Cicero tantum per translationem usurpavit (cf. Tusc. 5, 14, 41), propria significatione de personis ponitur 2, 115, 4: quippe Perustae et Desitiates ... angustiis saltuum paene inexpugnabiles (Liv. 33, 17, 9: inexpugnabiles animi; Curt. 3, 1, 7; Just. 37, 4, 2).

Laxus propria significatione ponitur 2, 81, 3: quo laxior fieret ipsius

domus (Hor., Verg., Sall. hist. 3, 71 D., post.). Cicero hac voce non utitur, nisi per translationem.

Mediocris dicitur de gradu, quo homines inter se differunt et est pro *ignobili, non illustri* 2, 22, 2: neque licentia gladiorum in mediocris (‚Leute von niederem Stande') saevitum, sed excelsissimi quoque atque eminentissimi civitatis viri variis suppliciorum generibus affecti. Cf. Just. 1, 4, 4: Cambysi mediocri viro filiam in matrimonium tradidit.

Navus adject., quod a Cicerone semper de personis usurpatur, ut apud Vell. 2, 105, 2, Vellejus primus videtur transtulisse ad res 2, 120, 1: nava virilique opera (Sil. Ital. 1, 549: rudimenta; 7, 350: timor). Lectionem ‚gnavus', quae melior videtur esse, recepit Halmius.

Tenax, quo vocabulo Cicero per translationem utitur fere pro parco, avaro, a Vellejo ponitur proprie de eo, quod firme tenet, et cum genitivo conjungitur 2, 29, 3: amicitiarum tenax; 2, 84, 3: Dellius exempli sui tenax (Poet., Liv., poster.). —

Jam apud superiores scriptores iisdem significationibus, quibus apud Vellejum, sed rarius exstant adjectiva haec:

Africus pro: *Africanus* 2, 56, 2: apparatus Africi (triumphi) ebore constitit. Cf. Scip. Afr. fr. apud Gell. 4, 18, 3; Caes. b. c. 2, 32, 13; Sall. Jug. 18, 9; Liv. 21, 1, 4. Adde Kuehn. p. 340.

Agilis, quo vocabulo Sisenna excepto primus videtur usus esse Livius (30, 10, 3), apud poetas Augusteae aetatis et posteriores solut. orat. scriptores saepius invenitur pro *impigro, haud segni*. Apud Vellejum translate exstat 2, 105, 2: virum multiplicem in virtutibus, navum, agilem, providum (Sisenn. fr. 280, 2 P.: agilem facilemque victoriam; Hor., Ov., Col., Sen. phil., Plin. min., Suet.).

Avius 2, 55, 4: inventus inter solitudines avias; 2, 75, 3: per avia itinerum (Poetae, Sall. Jug. 54, 9; Liv. 9, 19, 16; 25, 32, 6).

Bonus alqa re pro: *eximius, praestans* 2, 88, 1: M. Lepidus, juvenis forma quam mente melior. Cf. Sall. Jug. 7, 5; 13, 1; 49, 2.

Classicus pro eo dicitur, quod apud Ciceronem est *navalis* 2, 85, 1: Agrippae omne classici certaminis arbitrium commissum; 2, 81, 3: insigne coronae classicae; 2, 121, 1: concussis hostium viribus classicis (Liv., Tac.).

Cognominis dicitur, qui ejusdem nominis est cum alio et cum dativo conjungitur 1, 1, 1: cognominem patriae suae Salamina constituit. Cf. Liv. 5, 34, 9: cognomine Insubribus pago; Suet. Oth. 1 extr.: cognominem sibi (filium).

Commendabilis cum abl. conjunct. 2, 9, 6: novitate inventi a se operis commendabilem (Pomponium). Cf. Liv. 42, 5, 5; Val. Max. 9, 1, 2.

Conspicuus pro: *insignis*, *illustris* 2, 35, 1: virtutem M. Catonis jam multis in rebus conspicuam atque praenitentem (Poetae, Liv., Tac., Plin. min., Suet.).

Cruentus jam inde a Sallustio significanter usurpatur, velut apud Vell. 2, 71, 2: cruentius bellum; 2, 52, 3: cruentissimus dies (Sall. Cat. 47, 2; 58, 21).

Deses pro: *otiosus*, *languidus* 2, 105, 2: ut eum splendidum aut hilarem potius quam luxuriosum aut desidem diceres (Liv., Tac., poster.).

Efficax dicitur, qui vim quandam habet aliquid efficiendi 1, 8, 1: ludicrum certamen et *ad* excitandam corporis animique virtutem efficacissimum (Cael. apud Cic. fam. 8, 10, 3; Hor., Liv., Col., Plin. ambo, Suet.). Efficacitas vero invenitur Cic. Tusc. 4, 13, 31.

Facundus 2, 48, 3: homo ingeniosissime nequam et facundus malo publico (Sall., Liv., Sen. rh., Quint.). Cf. quae supra de facundia disputavimus p. 18.

Fugax dicitur, qui facile fugit 2, 85, 5: fuitque in confesso milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum officio (Plaut., Hor., Ov., Verg., Liv. 5, 28, 8; 30, 28, 3, poster.).

Furtivus translate ponitur pro: *occultus*, *clandestinus* 2, 31, 2: cum jam non furtivis expeditionibus orbem piratae terrerent. Cf. Cic. in Pis. 40, 97: furtivum iter; Ov., Verg., Tibull., Justin., poster.

Futurus pro adjectivo exstat 2, 57, 1: cum indicia dii immortales futuri obtulissent periculi (Cic. de fin. 29, 95: futurus dolor; pro domo 5, 12: futura fames; plura exempla invenies apud Hoppe, Gumbinger Progr. 1875, p. 10 sqq.).

Horrendus pro *horrifico*, *horribili* ponitur 2, 100, 2: foeda dictu memoriaque horrenda in ipsius domo tempestas erupit (Poetae, Liv. 1, 26, 6; 9, 36, 1; Val. Max., alii).

Hostilis pro: hostium 2, 112, 2; 2, 101, 3 (Sall., Liv., Tac., poster. Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 529).

Incruentus cum negatione *haud*, *non* conjunctum adj. 2, 21, 6: haud incruentis utrimque certaminibus; 2, 112, 6: non incruentis centurionibus (Sall., Liv., Tacit., cf. Boettich. lexic. Tacit. p. 250).

Inexsuperabilis dicitur de personis 2, 32, 4: Pompejus brevi inexsuperabili manu (piratarum) terrarum orbem liberavit (Sen. ep. 112, 1); de rebus usurpatur 2, 120, 2: omnibus difficultatibus superatis, quas vis hostium faciebat inexsuperabiles (Liv. 37, 53, 11; et saepius; Sen. ep. 85, 19).

Inquies forma adjectivi antiquior, ut putatur, sed eam usquam ante Sallustium invenire mihi non contigit, pro *inquieto* ponitur 2, 68, 3:

(P. Clodius) vir inquies et ultra fortem temerarius; 2, 77, 2: in quo tamen animus inquies manere non potuit. Cf. Sall. hist. 1, 7; 1, 48, 11 et 16; 2, 35; 4, 27; Tac. ann. 1, 65; 1, 68; 1, 74; 3, 4; 6, 18; 16, 14 (Plin. h. n. praef. 16 nunc legitur ‚in quiete'); Just. 44, 2, 5; Apul. met. 2, 16; Amm. Marc. 19, 5, 1; 29, 1, 5; Gell. 19, 9, 5. — *Inquietus* dicitur de personis 2, 11, 1: C. Marius immodicus gloriae, impotens semperque inquietus (Liv., Tac., cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 599).

Intactus pro: *haud infectus*, *imbutus* 2, 3, 2: tum optimates et intacta perniciosis consiliis plebs irruere in Gracchum (Sall. Jug. 54, 10; 67, 3; 83, 3; hist. 4, 61, 15; Liv. 5, 15, 6; 10, 40, 3; 38, 51, 4; Tac. hist. 2, 78; Sen. ep. 41, 4).

Naturalis avus 2, 112, 7. Cicero dixit natura pater, natura filius. Cf. Orellium ad Cic. Phil. 3, 6, 15; Verr. 3 § 161; Naegelsbach, lat. Stil. p. 203 ed. IV.; Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 737.

Nequam addito adverbio 2, 48, 3: homo ingeniosissime nequam; 6, 68, 1: ingeniose nequam.

Obsitus praeeuntibus poetis Ter., Hor., Ovid., Verg. pro *involuto*, *obtecto* ponitur 2, 126, 2: sepultae ac situ obsitae justitia, aequitas, industria (Liv., Curt., Quint., Suet.).

Par ad 2, 121, 2. Cf. Liv. 1, 5, 7; 26, 16, 3.

Pernix, adjectivum a pernicitate, quae est Ciceroniana vox, derivatum, apud optimos solutae orationis scriptores praeter Livium non inveniri puto. Vell. 2, 34, 1: viginti milibus juvenum coactis felocitate pernicibus (Plaut., Catull., Liv., poster.).

Plures particula *quam* non sequente 2, 4, 6 (oppon. ‚aliqui'); 2, 118, 3 (oppon. ‚pauci'). Cf. Kuehn. Liv. Synt. p. 341.

Praematurus translate dicitur pro: *immaturus*, *intempestivus* 2, 88, 3: uxor, quae praematuram mortem immortali nominis sui memoria pensavit (Planc. apud Cic. fam. 10, 8, 4; Plin. maj., Tac.).

Praeruptus translate usurpatur pro: *praeceps* 2, 2, 3: in praeruptum atque anceps periculum adduxit civitatem (Cic. pro Rosc. Amer. 24, 68 e conjectura Halmii; Tac., cf. Boettich. lexic. Tac. p. 369).

Praevalens 2, 108, 2: Maroboduus genere nobilis, corpore praevalens (Liv. praef. 4; Plin. maj.). — *praevalidus* 2, 69, 2: praevalidis in Syria legionibus (Liv. 7, 5, 6; 3, 43, 4; Val. Max. 2, 5, 5; Tac. hist. 2, 68; Suet.).

Semianimis 2, 27, 3: Telesinus postera die semianimis repertus est. Haec vox jam inde a Sallustio in primis apud historicos scriptores frequentissima est. Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 1059.

Semiustus de eo dicitur, quod dimidia parte ustum, male ambustum

est 2, 119, 5: Vari corpus semiustum hostilis laceraverat feritas (Liv. 26, 27, 13: semustum forum; Tac. ann. 15, 40: tectorum vestigia semusta; translate Liv. 22, 40, 3: se populare incendium priore consulatu semustum effugisse).

Situs insolenter de personis dicitur 2, 120, 1: etiam cis Rhenum sitarum gentium animos confirmavit (Sall. hist. 4, 61, 17 (D.); Plin. h. n. 7, 2 (2), 28; Tac. ann. 12, 10; Agric. 30; cf. Boettich. lexic. Tac. p. 234).

Supervacuus pro eo, quod est apud Ciceronem *supervacaneus* 1, 16, 1: paene magis necessaria praetereunda, quam supervacua amplectenda. Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 1115, cui locum Vellejanum addas et Curt. 6, 8, 12; 6, 10, 4; 8, 7, 11; Suet. rh. 1; Tib. 52). At Vell. 2, 36, 2: supervacaneum videri potest sequente infinitivo.

Tributarius 2, 38, 5: Asiam L. Scipio fecit tributariam (Cic. Verr. 4, 66, 148; Plin. maj.; Just.; JCt.).

Ultimus pro eo, quod est *infimus* pariter atque adjectivum Graecum ἔσχατος 1, 11, 1: qui se regiae stirpis ferebat, cum esset ultimae (Hor. epist. 1, 17, 35; Liv. 34, 18, 5; 30, 30, 4; epit. 49; Flor. 2, 14, 13).

Vetus de aetate hominum dicitur pro: *senex*, *grandis*, *magnus natu* 2, 125, 3: vetus imperator (Sall. hist. 2, 23, 5; Tac. ann. 6, 31).

Adjectivorum in neutro genere pro substantivis positorum usus quum jam apud optimos scriptores exstet, tamen inde a Livio multo latius patet maximeque talia adjectiva cum praepositione ita conjuncta sunt, ut adverbiorum quandam vim habeant. Ejusmodi adjectiva apud Vellejum inveni haec: in adversis 2, 53, 2. — in confesso est 2, 85, 5. — ex male dissimulato 2, 109, 2 pro: non satis dissimulanter Sen. nat. quaest. 4. praef. 5 (cf. Hand Turs. II. p. 656). — ex diverso stare 2, 102, 1. — in externis 2, 7, 2. — in incerto est 2, 97, 2. — ex insperato 2, 112, 6. — pro licito vindicare 2, 100, 3. — ad liquidum perducere 1, 16, 1. — ex longinquo 2, 43, 2. — in longum durare 2, 85, 4. — in medio relinquere 2, 48, 4. — ex merito aestimare 2, 118, 4. — in omnia et in omnibus venalis 2, 83, 2. — inter perniciosissima numerare 2, 7, 7. — in praeceps pervenitur 2, 3, 4. — in praecipitia converti 2, 112, 7. — ex solito variare 2, 41, 3. — in ultimum erumpere 2, 125, 2; ad ultimum 2, 21, 3; 2, 48, 5 (haec elocutio plane pro adverbio ponitur, cf. Liv. 45, 19, 7). — in vicino esse 2, 70, 2.

Comparativus gradus eodem modo usurpatur, id quod apud veteres scriptores raro fit: in antiquius citeriusve procedere 1, 17, 2 (cf. Naegelsb. lat. Stil. p. 71 (ed. IV.). — in deterius inclinari 2, 123, 2. — in interiora refugere 2, 108, 1; 2, 110, 3. Locutio illa ad Graecorum loquendi consuetudinem videtur conformata esse, cf. Thuc. 1, 10, 3: ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμῆσαι. Livius et Tacitus locutionem illam frequenter usurpaverunt,

cf. Roth ad Tac. Agr. p. 218—222. Praepositione omissa adjectiva pro substantivis ponuntur haec: continens 1, 2, 3 (Caes.). — inventum 1, 17, 2. — raptum 2, 32, 6; 2, 73, 3 (Liv.). — togata 1, 9, 3 (oppon. tragoediae). — verum 2, 16, 2; 2, 23, 4.

Adjectiva masculini generis in singulari numero inveni haec: potens et humilis 2, 126, 3: suspicit potentem humilis.

Adjectiva et *pronomina* neutrius generis in plurali numero pro substantivis posita apud Vellejum exstant: aestiva 2, 105, 3; 2, 117, 4. — aliqua 2, 114, 3; 2, 125, 3. — ancipitia 2, 125, 4. — aspera 1, 17, 1; audita 2, 92, 4. — optime cogitata 2, 13, 3. — bene coepta 2, 14, 1. — magnifice conata 2, 29, 1. — bene consulta 2, 18, 5. — male consultorum 2, 88, 3. — contraria 2, 75, 2. — dextra 2, 40, 1 (Plin. h. n. 6, 26, 99). — digna 2, 71, 2. — diversa 2, 52, 2; 2, 60, 5; 2, 80, 2. — eminentia 2, 40, 5. — extraordinaria 2, 31, 4. — falsis (abl.) 2, 60, 4. — humilia 2, 60, 2. — illa 2, 111, 2. — imis (abl.) 2, 2, 3. — majora 2, 13, 2; 2, 130, 3. — minora 2, 88, 2. — minoribus (abl.) 2, 13, 2. — mira 2, 61, 1. — multa ac nefanda 2, 83, 3. — necessaria 1, 16, 1. — nova 2, 129, 2. — perniciosa 2, 125, 4. — praecipitia 2, 10, 1. — praesentia 2, 92, 4. — praeterita 2, 92, 4. — prava 2, 6, 4. — pravis (abl.) 2, 10, 1. — recta 2, 10, 1; 2, 126, 2. — rudia 1, 17, 1. — scripta 2, 66, 5. — singula 2, 129, 1. — solita 2, 118, 1. — summa 2, 2, 3; 2, 76, 4. — supervacua 1, 16, 1. — ulteriora 2, 105, 1. — utilia 2, 113, 2. — vera 2, 71, 2. — visis (abl.) 2, 93, 4. — vitiatis (abl.) 2, 60, 4.

Dativi usum, quem in his adjectivis pro substantivis positis rarissimum esse et apud Ciceronem nisi in ‚omnibus‘ non inveniri Draegerus affirmat (hist. Synt. I. p. 41) apud Vellejum reperi 2, 56, 4: omnibus audendis paratissimus; 1, 110, 3: gloriosis; 2, 75, 2: praesentibus; 2, 113, 2: speciosis.

Etiam formae partic. futur. pass. pro substantivo ponuntur, id quod rarius fit apud optimos scriptores (cf. Naegelsb. lat. Stil. ed. IV. p. 88): audenda 2, 56, 4. — dolenda 2, 130, 4. — erubescenda 2, 130, 4. — laudanda 1, 17, 1. — nefanda 2, 83, 3.

Non nulla adjectiva et pronomina neutr. gen. pro substantivo posita cum genitivo conjunguntur, id quod apud poetas et jam inde a Livio fit (cf. Naegelsb. lat. Stil. ed. IV. p. 92; Draeger, Stil d. Tacit. p. 25): per aversa castrorum 2, 63, 1. — per avia itinerum 2, 75, 3 (cf. Draeg. p. 25, qui dicit hunc usum subst. c. gen. conjunct. rarissimum esse, si praepositio quaedam ante substantivum ponatur). — id nominis 1, 3, 2. — id furoris 2, 80, 2. — dextra atque intima Ponti incolere 2, 40, 1 (Plin. hist. nat. 6, 23 [26], 99). — reliqua belli 2, 123, 1. — ad

medium fluminis 2, 107, 1. — plurimum honoris 2, 62, 3. — tantum profusum sanguinis 2, 52, 3.

Adjectiva in plurali numero pro substantivo posita mascul. gener. inveni: a volentibus 2, 62, 3. — desiderantibus (dat.) 2, 114, 2. — a primis hostium 2, 110, 1 (Germanice ‚Vorposten').

Silentio non praetereunda esse puto hoc loco non nulla substantiva a Vellejo pro adjectivo usurpata, velut: raptor 2, 27, 2: raptores Italicae libertatis lupi (Graece: λύκοι ἅρπαγες). — victor exercitus 2, 114, 5. — Apud poetas superiores hic usus frequentior est, quam apud scriptores solutae orationis.

Raro adjectivum pro adverbio ponitur, velut: inviolatus a Sulla dimissus est 2, 25, 2. — invitus revertens 2, 102, 4. — diu tacitus contemplatus Caesarem 2, 107, 2. Cf. Kuehn. Liv. Synt. p. 56.

Frequens etiam apud Vellejum est adjectivorum usus pro substantivis cum genitivo vel alio casu conjungendis, velut: principalia arma 2, 50, 3; principalis quies 2, 56, 3; consularis vindicta 2, 92, 3; avitae virtutes 1, 12, 3; cogitatio regia 1, 10, 2; muliebris fuga 2, 76, 2; consulare fastigium 2, 69, 1; castra Bruttiana 2, 72, 5; 2, 76, 2; alia. Cf. quae doctissime de hoc adjectivorum usu disseruit G. Wichert, Ueber den Gebrauch des adjectivischen Attributs im Lateinischen. Berlin 1875. 8°. 59 pagg.

Jam si ad formas adjectivorum animum attendimus, reperimus non nulla adjectiva maximeque participia insolentius per gradus esse declinata a Vellejo. Rariores autem formas comparativi gradus has fere annotandas putavi (cf. Neue II. p. 119; Draeger I. § 12. p. 23):

Convenientior 1, 13, 5; flagrantior 2, 48, 3; moderatior 2, 126, 3; paucior 1, 10, 5; pronior 1, 9, 2; temperantior (Caes.) 2, 20, 2.

Gradus superlativi:

Affectissimus 2, 84, 2 (ἅπ. εἰρ.); caelestissimus 2, 66, 3; 2, 104, 3; convenientissimus 1, 6, 3; 2, 14, 2; distractissimus 2, 114, 1; efficacissimus 1, 8, 1; effusissimus 2, 41, 1; 2, 43, 1; eminentissimus 1, 12, 3; 2, 1, 1; 2, 17, 3; 2, 22, 2; 2, 43, 3; 2, 71, 2; 2, 72, 3; 2, 75, 3; 2, 101, 2; 2, 121, 3; 2, 130, 5; exploratissimus 2, 84, 1; excelsissimus 2, 22, 2; 2, 101, 1; 2, 114, 4; fulgentissimus 2, 39, 1; 2, 64, 3; 2, 71, 1; honoratissimus 1, 11, 6; 2, 76, 1; innocentissimus 2, 2, 2; mixtissimus (ἅπ. εἰρ.) 2, 98, 3; serissimus 2, 131, 2 (Plin. h. n. 15, 15 (16), 55); verecundissimus 2, 33, 3.

Etiam adverbia non nulla per gradus declinata mihi visa sunt afferenda:

Excelsissime florere 1, 6, 3; asperrime saevire 2, 7, 4; invidiosius 2, 45, 3; laetius 2, 45, 3; validius 2, 29, 5.

Restat, ut commemorem Vellejum ad vim comparativi gradus augen-

Peragrari pro verbo deponenti exstat 2, 97, 4: peragratus victor omnis partis Germaniae. Hanc verbi deponentis formam Kritzius maximo cum studio defendit; sed jam Ruhnkenius felicissime, ut nobis videtur, conjecit ‚pervagatus'.

Repensare translate pro eo dicitur, quod est *aequare*, *compensare* 2, 12, 5: hac victoria videtur meruisse Marius, ne ejus nati rem publicam poeniteret, ac bona malis repensasse; 2, 21, 4: cujus (Pompeji) interitus voluptas amissorum aut gladio aut morbo civium paene damno repensata est (Col. 3, 2, 15; Sen. nat. quaest 5, 18, 4; de ira 2, 32, 1; poster.). — *repensare* proprie exstat Flor. 3, 15, 6: caput auro. Verbum simplex ‚pensare' translata significatione invenitur 2, 88, 3: mortem immortali nominis memoria; 2, 111, 5: victoriam damno amissi militis. — *rependere* proprie ponitur 2, 6, 5: caput auro (Cicero: aurum pro capite); translate usurpatur Val. Max. 5, 3. ext. 3: beneficia injuriis rependere. —

His verbis Vellejus aut novam vim aut structuram ab optimorum scriptorum consuetudine alienam videtur imposuisse primus:

Adjicere manum alcui pro eo, quod est injicere, imponere manum 2, 100, 1: nam et Parthus desciscens a societate Romana adjecit Armeniae manum. Ut autem, observante Ruhnkenio, scriptores Latini nullo discrimine inferre et afferre manum dicunt, ita non promiscue dici potest injicere et adjicere manum (inferre manus Cic. Cat. 1, 8, 22; Suet. Cal. 51 extr. — afferre manus Cicero saepissime dixit; cf. Merguet, Lexicon zu den Reden des Cicero p. 92; Sen. de ben. 5, 15, 4). Adjicere manum etiam invenitur Val. Max. 7, 5, 4; injicere manum Cic. pro Q. Rosc. 16, 48; Liv. 2, 12, 13; Val. Max. 2, 9 init.; 3, 2, 23; 4, 1, 15; 7, 2. ext. 1; Flor. 3, 23, 9. De locutione manum imponere cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 557, cui addendum est Vellejum semper dicere *ultimam* (non: *summam*, *extremam*) manum imponere. Cf. 2, 33, 1; 2, 87, 1; 2, 88, 1; 2, 117, 1.

Accire paulo insolentius translata significatione dicitur 2, 38, 6: regis morte, quam ille conscientia acciverat, (Cyprus) facta provincia est. Cf. Flor. 4, 2, 71: mortem etiam laetus accivit.

Agnosci addito nominativo praedicati per *ut* 2, 10, 1: at nunc, si quis tanti habitet, vix ut senator agnoscitur.

Ali in alqd pro eo, quod est apud Ciceronem *educari ad alqd* (Cic. Verr. 3, 24, 60: homine ad turpitudinem educato) 2, 93, 2: juvenis fortunae (‚zukünftige hohe Stellung'), in quam alebatur, capax (adde lexic. Latin.). Cf. Val. Max. 2, 10, 4: ad excidium ejus alebatur (adde lexic. Lat.).

Ambigitur apud quosdam 1, 15, 3: eodem temporum tractu, quam-

quam apud quosdam ambigitur, Puteolos missi coloni (Cic. de or. 2, 24, 104: nihil enim est, quod inter homines ambigitur).

Assentari apud optimos scriptores semper ita usurpatur, ut notio blandiendi insit; apud Vellejum in bonam partem pro *assentiri* dicitur pariter atque *assentatio* pro *assensione* 2, 128, 3 (vid. supra p. 12). Vell. 2, 48, 1: iis, qui a Caesare dimittendos exercitus contendebant, assentabatur Pompejus (Plaut. Most. 1, 3, 90 (246); Quint. 11, 3, 102; Frontin. 3, 3, 4).

Asserere pro eo dicitur, quod est *vindicare* 2, 60, 1: sed asserebant salutaria rei publicae terrarumque orbis fata conditorem conservatoremque Romani nominis (Ovid. met. 1, 462 et 760; Val. Max. 4, 4, 4; Sen. phil., Plin. ambo, Curt., Quint., Suet.). — Apud optimos scriptores asserere vocabulum est in jure solemne et dicitur de iis, qui aliquem ex servitute in libertatem vindicant, qua in re illi manu capiti in libertatem vindicandi imposita eum liberum esse ajebant.

Astruere proprie significat juxta aut super alqd aedificare (Germanice ‚daranbauen, darüberbauen'), ut Caes. b. c. 2, 9, 2: hanc insuper contignationem, quantum tectum plutei ac vinearum passum erat, latericulo astruxerunt; translate a Vellejo primo inter sol. orat. scriptores ponitur pro *adjicere*, *attribuere*, *addere* 1, 17, 2: ut Livium quoque priorum aetati astruas; 2, 55, 2: nam victus ab eo Pharnaces vix quicquam gloriae ejus astruxit (Ov. art. am. 2, 119; Plin. ambo, Sen. phil., Quint., Tac.).

Auspicari apud veteres scriptores significat auspicia habere, apud Vellejum usurpatur eadem vi, qua *incipere*, *initium facere*, *ingredi* 2, 101, 3: quem militiae gradum auspicatus in Thracia; vi passiva exstat 2, 79, 2: auspicatis rei publicae ominibus (Val. Max., Col., Plin. ambo, Tac., Suet., Just.).

Colligi potest sequente *quod* 1, 9, 6: hoc colligi potest, quod fuere (adde lexic. Latin.); sequente accus. cum infin. 2, 7, 5: quod jam nullum esse spatio annorum colligi potest; sequente oratione obliqua 2, 86, 2: ex qua lenitate ducis colligi potest, quem triumviratus facturus fuerit modum (Cic.).

Contingere. Sors Tyrrhenum contigit 1, 1, 4. „Rarissimum dicendi genus, ut apud Septim. de bello Trojano 5, 13: ut quemque sors contigerat.' Ruhnkenius. Adde Plin. h. n. 18, 11 (29), 109: palma frugum indubitata Italiam contigit.

Destruere, quod proprie dicitur de aedificiis, deinde de aliis quibuslibet rebus, jam inde a Vellejo poni coeptum est de hominibus 2, 48, 2: defuisset fortunae destruendi ejus locus (Plin. pan. 83; Quint., Tac.).

Distribuere cum praepositione *in* sequente *ablativo* insolenter con-

jungitur 2, 20, 2: Cinna in omnibus tribubus se eos distributurum pollicitus est. De hac structura apud omnes lexicographos tacetur.

Erudire, quod apud optimos scriptores tantum de personis dicitur, praeeunte Ovidio (am. 1, 14, 30: erud. acus; rem. am. 690: erud. oculos) transfertur ad res 2, 59, 4: ad erudiendam liberalibus disciplinis singularis indolem juvenis Apolloniam eum in studia miserat. Cf. Plin. h. n. 34, 8 (19), 56: toreuticen erud. — Flor. 1, 6, 1: educare indolem.

Evehi in alqm gradum honoris haud raro a Vellejo dicitur pro *ascendere* praeeuntibus Horatio et Vergilio 2, 4, 7: in quem (consulatum) evectus est; 2, 30, 3: in summum fastigium (suppl. honorum et imperiorum) evectum (eadem locutio 2, 56, 3; 2, 116, 4); 2, 53, 3: viri in id evecti, super quod ascendi non potest; 2, 127, 1: ad multiplices consulatus triumphosque evehi. Activa forma 2, 90, 1: quem usque in tertium consulatum amicitia principis evexerat (Liv. epit. 68: homini ad tantos honores evecto; Livius ipse 22, 26, 2: pervenire ad honores dicit. Tac. dial. 13: eveh. ad consulatus; Curt. 4, 10, 20: ad summum fastigium evehi).

Illicere apud optimos scriptores plerumque usurpatur in malam partem, qua significatione exstat apud Vellejum 2, 13, 2; sed dicitur etiam in bonam partem, ut 2, 89, 4: principes viri hortatu principis ad ornandam urbem illecti sunt. Cf. Varro de l. l. 6, 9 § 94: ut populus inliciatur ad magistratus conspectum.

Illuminare translate dicitur pro eo, quod est *celebrare* 1, 18, 3: nisi Thebas unum os Pindari illuminaret; 2, 66, 5: rerum naturae corpus eloquentia illuminavit.

Implere translate ponitur pro *plane explicare*, *exponere* vel, ut alias dicunt, *exhaurire* 2, 103, 4: vix in illo justo opere abunde persequi poterimus, nedum hic implere. Vide quae Schultingius ad Sen. controv. 1. p. 107 doctissime de variis implendi significationibus disputavit. — *Implere* alqm dicitur pro: *oris figura alqm plene perfecteque referre* 2, 95, 3: cum Paulus vix posset implere censorem [i. e. vim et auctoritatem censoris plene praestare] (Plin. ep., Tac., cf. Boettich. lexic. Tac. p. 244).

Instinguere alqm *in* bellum insolenter dicitur pro incitare ad bellum 1, 12, 1: instincta in bellum Achaia. Paulo supra invenies: Corinthiis in bellum instigantibus.

Interpretari alqd *pro* alqa re 2, 83, 2: clementiam victoris pro sua virtute interpretabatur (i. e. clementiam victoris Caesaris non pro beneficio habebat, sed se virtute sua a Caesare spectata eam meruisse dici volebat). Cf. Sulp. Sev. chron. 2, 40, 1: quin etiam synodum Nicaenam pro se interpretantes. — *Interpretari* victoriam *ut* suam 2, 80, 2.

Morari per translationem in locutionibus non nullis usurpatur contra consuetudinem optimorum scriptorum pro: *in narranda alqa re versari* 1, 7, 2: dum in externis moror (i. e. dum in narrandis rebus, quae extra Italiam factae sunt, versor) et 2, 41, 1: qui (consulatus Caesaris) quamlibet festinantem in se morari cogit. Deinde *morari* dicitur de eo, qui per longum tempus munus quoddam obtinere cupit 2, 11, 2: criminatus Metelli morandi in imperiis cupiditatem.

Perpolire propria significatione exstat 2, 22, 4: conclusit se loco nuper calce arenaque perpolito. — Cicero hoc verbo non utitur, nisi translata significatione; Ruhnkenius, ut simplex verbum polire scribendum sit, proposuit.

Praescribere pro eo, quod est *supra dicere, memorare* 2, 41, 1: ut praescripsimus. Ruhnkenio primum observante aut ex Vellejana dicendi consuetudine ,ut praediximus' scribendum esse aut verba omnino tollenda mihi persuasi. Invenitur apud Vellejum: ut praediximus 1, 4, 1; 1, 12, 1; 1, 15, 4; 2, 12, 2; quas praediximus 2, 1, 2; quem praediximus 2, 11, 1; de quo praediximus 2, 15, 3; de cujus consulatu praediximus 2, 104, 2; quos praediximus 2, 108, 2.

Proferre i. s. q. *commovere, impellere* 2, 128, 4: ad juvanda vero opera principis Sejanum protulit. Cf. Lucan. 2, 493: ut conspicit, amne soluto, rumpi Caesar iter calida prolatus ab ira.

Publicare apud veteres scriptores solutae orationis eandem vim habet, quam in reipublicae ditionem potestatemque redigere, praeconi publico subjicere, apud Vellejum significat quod privatum est, in usum publicum convertere 2, 114, 2: lectica ejus publicata est [i. e. publici juris facta] (Plaut. Bacch. 4, 8, 22 (863): corpus suum volgo publicare; Tac. Germ. 19: publ. pudicitiam; Plin. h. n. 7, 30 (31), 115 et Suet. Caes. 44: bibliothecam publicare).

Protegere eadem significatione dicitur per translationem, qua *celare* 2, 100, 5: Quinctius Crispinus singularem nequitiam supercilio truci protegens. Cf. Quint. decl. 8, 1: parricidii immanitatem metu majore protegere; Just. 38, 1, 10: risu protectis insidiis.

Recurrere translate ponitur pro *memoriam alcjs rei repetere* 2, 4, 7: de quo si quis ambiget, recurrat ad priorem consulatum ejus. Cf. Plin. pan. 88, 10: haec optimi appellatio numquam memoriae hominum sine te recurret.

Refragari, quod proprie significat obstare, adversari invenitur apud Vellejum sequente *ne* 2, 40, 5: cum iis pars optimatium refragabatur, ne promissa civitatibus ad arbitria ejus persolverentur. Translata significatione hoc verbum exstat apud Plin. h. n. 19, 7 (38), 127.

Refulgere, quod apud veteres scriptores proprie siguificat fulgorem remittere, resplendere, per translationem usurpatur a Vellejo praeeunte Propertio (3, 18, 8) pro *renasci* 2, 103, 5: tum refulsit certa spes liberorum parentibus, viris matrimoniorum. Cf. Plin. h. n. 35, 9 (36), 60: in quibus primus refulsit Apollodorus.

Relegare apud optimos scriptores eandem vim habet, quam a republica removere, qua utitur Vellejus 2, 45, 4; 2, 100, 5; per translationem usurpatur pro *assignare*, *attribuere*, *transferre* 2, 44, 2: invidia communis potentiae in illum (Pompejum) relegata; 2, 64, 2: invidiam et auctorem relegabat. Cf. Quint. 7, 4, 13: interdum culpa in hominem relegatur; 6. prooem. § 13: omnia ad crimen fortunae relegamus. Livius hoc sensu verbo, quod est delegare, utitur, velut 5, 20, 9: invidiam et crimina delegare ad senatum; 28, 42, 15: adversa casibus incertis belli et fortunae delegare.

Rependere alqd alqa re pro eo ponitur, quod apud Ciceronem (de orat. 2, 67, 269: pro capite aurum rependere) est rependere alqd pro alqa re 2, 6, 5: quod capitis non dicam Gracchi, sed civis Romani pretium se daturum idque auro repensurum proposuit. Eadem structura invenitur Val. Max. 9, 4, 3; Plin. h. n. 33, 3 (14), 48 (de eodem Graccho sermo fit).

Repudiare de rebus nuptialibus dicitur 2, 41, 2: cujus filiam ut repudiaret compelli non poterat (Plaut., Ter., Suet., al.).

Transcendere insolenter dicitur pro: transire in narrando 2, 130, 3: ut ad majora transcendam. Cf. Quint. 7, 1, 2: ad leviora transcendat; Hyg. apud Gell. 16, 6, 15: ex minore aetate in majorem transcendisse.

Transgredi contra consuetudinem optimorum scriptorum per translationem ponitur pro *excedere, praeterire* 2, 7, 2: quippe juvenis specie excellens necdum duodevicesimum annum transgressus (Sall. hist. inc. 80; Val. Max., Plin. maj.). Deinde hoc vocabulum eandem vim habet, quam *silentio praeterire* 2, 108, 2: nulla festinatio hujus viri mentionem transgredi debet. Cf. Apul. de magia 74: utinam hercule possem quae deinde dicenda sunt sine maximo causae dispendio transgredi.

Tumultuari vocabulum a sermone castrensi desumptum apud Vellejum eum significat, qui incertus est, utrum hanc, an illam personam agat 2, 79, 5: dum inter ducem et supplicem tumultuatur. ‚Tumultus saepe dicitur de animi motu, ut Hor. od. 2, 16, 10: neque consularis summovet lictor miseris tumultus mentis. Eandem animi agitionem sic expressit Sallustius Jug. 25, 6: metu atque libidine divorsus agitabatur'. Ruhnkenius.

Venire in alqm insolenter dicitur pro *supervenire*, *adoriri* 2, 109, 3:

tamquam in omnes semper venturus ab omnibus timebatur. Cf. Verg. Aen. 2, 47: machina inspectura domos venturaque desuper urbi.

Vindicare se ab alqo eadem vi dicitur, qua se *ulcisci* ab alqo 1, 1, 3: quin se etiam a Pyrrho, Achillis filio, virtute vindicavit. Cf. Sen. de clem. 1, 9, 3; 1, 21, 4; de ben. 6, 5, 4. — se vindicare de alqo invenitur Plin. ep. 4, 11, 14. —

Non nulla etiam verba eorumque significationes Vellejus a superioribus poetis desumpsit. Sunt haec fere:

Assuescere pro eo dicitur, quod apud optimos scriptores est *assuefacere* 2, 79, 1: contrahendo militi ac remigi navalibusque assuescendo (suppl. militem ac remigem) certaminibus atque exercitationibus praefectus est M. Agrippa (Hor. serm. 2, 2, 109; Lucan. 5, 776; Flor. 4, 12, 43).

Autumare non solum pro aestimare, censere dicitur, qua significatione exstat apud Plautum Terentiumque et poetam apud Cic. or. 49, 166 et top. 13, 55, sed etiam pro *dicere*, *nominare* sequente duplici accusativo Vell. 1, 6, 4: quam quidam Dido autumant (cf. Ruhnk. ad locum), velut Hor. serm. 2, 3, 44: quem insanum Chrysippi porticus et grex autumat ‚den *nennt* des Chrysippus Hall' u. Gemeinde unklug' (Kirchner). Alii hoc loco autumare pro censere accipiunt; sed etiam Commentator Cruquianus pro dicere, nominare interpretatur.

Circumvolare, quo vocabulo poetae classici propria significatione saepe utuntur, per translationem a Vellejo primo inter solut. orat. scriptores usurpatur pro *celeriter circumire*, *circumvehi* 2, 27, 2: eo die, quo circumvolans ordines exercitus sui adesse Romanis ultimum diem vociferabatur. Apud Columellam (1. praef. § 9) et Senecam (de ira 2, 9, 3) eadem sententia verbum circumvolitare exstat.

Collidi praeeunte Horatio (epist. 1, 2, 7) ponitur pro *dimicare*, *decertare* 2, 52, 3: collisa inter se reipublicae capita tot talesque caesos viros non recipit enarrando hic scripturae modus; cf. Stat. Theb. 6, 435. Comparat Ruhnkenius ad locum nostrum Graecum *συγκρούειν* et metaphoram, ob adjunctum capita, ductam esse putat ab animalibus, quae mutuo concursu capita collidunt. Observabatur fortasse auctoris animo locus ille Verg. Aen. 12, 715 sqq.

Compescere 2, 12, 6: non tamen furorem ... consul armis compescuit. Hoc vocabulum Plauto et aurea aetate poetis usitatum jam inde a Vellejo frequentari coeptum est (Col., Sen. phil., Plin. maj., poster.).

Deflere praeeunte Vergilio (Aen. 11, 59: haec ubi deflevit) a Vellejo eadem vi ponitur, qua *enarrare cum doloris sensu* 2, 119, 1: nunc summa

deflenda est. Cf. Sen. ad Marc. 26, 1; Plin. ep. 9, 33, 11; Tac. ann. 3, 49; Suet. Cal. 30.

Depudere vel verbum impersonale *depudet* apud Vellejum solum dicitur pro *valde pudet* 2, 73, 3: cum eum non depuderet vindicatum armis ac ductu patris sui mare infestare piraticis sceleribus. Ov. her. 4, 155 et Sen. cons. sap. 17, 3 est pro *pudere desinere* (Ov. am. 3, 11, 4 nunc legitur: non puduit ferre).

Ferre pretium dicitur pro usitata elocutione ‚fructus ferre' 2, 45, 2: conservatae patriae pretium calamitatem tulit; 2, 52, 5: quod voluntatis suae pretium tulit; 2, 125, 1: tulit et voti et consili sui pretium res publica (Ter. Andr. 3, 5, 4: ego pretium ob stultitiam fero).

Fungi morte poetarum more usurpatur 2, 49, 1: fatali ante initium bellorum civilium morte functi sunt. Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 494 et sub voce ‚fatum' p. 467.

Imputare, quod verbum Ovidius (met. 2, 400) videtur novasse, jam inde a Vellejo frequentari coeptum est eadem significatione, qua *ascribere*, *assignare* atque in bonam et in malam partem usurpatur. Exstat Vell. 2, 23, 4: si quis hoc rebellandi tempus imputat Atheniensibus, veri ignarus est (Sen. phil., Quint., Tac., Plin. ep. — Apud Celsum propria significatione ponitur).

Jactari de laboribus et aerumnis in primis de erroribus maritimis dicitur 1, 2, 3: jactati cum variis casibus quinto decimo anno sedem cepere circa Lesbum insulam. Cf. Verg. Aen. 1, 3: terris jactatus et alto. Adde Cic. de inv. 2, 31, 95; Tusc. 5, 2, 5.

Moliri pro exstruere ponitur praecipue de aedificiis, ubi multis operis impensisque opus est idque vocabulum apud poetas classicos frequentissimum est. Vellejus dixit moliri aedem 1, 11, 5; theatrum 1, 15, 3; porticus 2, 1, 2 et 2, 8, 3; templum 2, 130, 1.

Penetrare gentem, terram i. s. q. *perlustrare* 2, 5, 1: penetratis Hispaniae gentibus; 2, 40, 1: penetratae victoria Media, Albania, India; 2, 47, 1: bis penetrata Britannia; 2, 105, 1: penetrata ulteriora (Verg., Plin. h. n. 8, 16 (19), 50; Suet. Caes. 52; Just. 24, 4, 3).

Praefulgere, quod apud superiores poetas proprie ponitur, translate usurpatur a Vellejo primo inter solut. oration. scriptores 1, 14, 1: nam militarium (suppl. coloniarum) et causae et auctores ex ipsarum praefulgent nomine (Tac., Gell.).

Praenitere, quod verbum Horatius (od. 1, 33, 4) videtur novasse, translate exstat 2, 35, 1: ille dies virtutem M. Catonis jam multis in rebus conspicuam atque praenitentem altissime illuminavit (Halm ‚in altissimo culmine locavit'); 2, 39, 2: quarum gentium titulis forum ejus

praenitet (Sen. Med. 94). Omnino verbum, quod est *nitere*, Vellejo in deliciis est. Cf. 1, 17, 1: dulces facetiae per Terentium et Afranium nituerunt; 2, 9, 1: nituerunt oratores. De vocabulis, quae Vellejo in deliciis sunt, conferas Sauppe p. 176 sqq.

Quaeritare verbum poetis superioribus Plauto et Terentio (semel apud Catull. 55, 32) frequentissimum inter solut. orat. scriptores apud primum Vellejum videtur exstare 1, 4, 3: magna pars Graeciae sedes quaeritans. *Quaeritare* sequente particula *an* Amm. Marc. 14, 7, 7 (Adde locos ambo lexic. Latinis et Krebsii Antibarbaro).

Quatere animum poetarum more dicitur pro *commovere*, *perturbare* 2, 110, 6: quin tantus belli motus fuit, ut Caesaris animum quateret atque terreret. Cf. Hor. od. 1, 16, 5: quatere mentem. Adde Cic. Tusc. 3, 6, 12: est natura in animis tenerum quiddam et molle, quod aegritudine quasi tempestate quatiatur.

Recensere praeeuntibus Ovidio et Vergilio id significat, quod est *commemorare*, *persequi* 2, 129, 1: sed proposita quasi universa principatus Caesaris forma singula recenseamus (Plin. ep. 1, 8, 15; poster.).

Refovere i. s. q. *reficere* 1, 15, 1: vires refovendae magis quam spargendae; 2, 113, 2: ad refovendas ex itinere vires. Refovere vires Tac. ann. 12, 66. Hoc vocabulum poetarum proprium argentea, quae vocatur, aetate frequentari coeptum est (Plin. ep., Suet., alii).

Reluctari, quo verbo propria significatione poetae classici utuntur, translata usurpatur 2, 102, 4: deinde reluctatus invitusque revertens in Italiam (Quint., Plin. pan. 60; Curt.).

Replere i. s. q. *recreare*, *reficere* 2, 56, 1: elephantorum certaminis spectaculis replevit eam (urbem); 2, 100, 2: replere animos oculosque; 2, 103, 1: incredibili laetitia patriam replere (Plaut., Verg., Ov., Plin. min.).

Revolare per translationem significat *celeriter redire* 2, 120, 5: his auditis revolat ad patrem; 2, 123, 2: ille ad patrem revolavit. Cf. Ov. met. 7, 684: et revolat nullo referente cruentum.

Signare poetarum more ponitur in locutionibus his: 1) pro *consignare litteris*, *memorare* 1, 16, 1: quin rem ad liquidum perfectam signem stilo (Ov., Verg., Sen. phil., Quint., alii). 2) pro *significare* 2, 115, 1: honorum, quibus triumphans eum Caesar donavit, signat memoria. Cf. Capit. Alb. 4, 5.

Spargere i. s. q. *dissipare*, *profundere* 1, 15, 2: post bellum vires refovendae magis quam spargendae. Cf. Hor. epist. 2, 2, 195: spargas tua prodigus an neque sumptum invitus facias etc.

Tumescere, vocabulum poetarum proprium, de mari proprie usurpatur sensim surgente, donec prorumpente procella in summum aestum

effervescat; per translationem ponitur de bello, quod maris instar sensim clandestinis motibus et consiliis exsurgens subito occasione data exardet. Vell. 2, 15, 1: mors Drusi jam pridem tumescens bellum excitavit Italicum. Cf. Verg. georg. 1, 465: saepe monet fraudemque et operta tumescere bella. —

Non nulla denique verba, quae jam apud superiores scriptores in primis apud Sallustium et Livium iisdem significationibus, quibus apud Vellejum inveniuntur, sed apud illos scriptores rariora sunt, non putavi alienum esse afferre. Cum vero ejus generis verba apud Vellejum permulta sint, necesse fuit judicio quodam in iis afferendis uti modumque tenere, quod num semper mihi contigerit, alii judicent.

Abolere i. s. q. *tollere*, *exstinguere*, *delere* 2, 58, 2: cum censuisset Cassius testamentum Caesaris abolendum (Verg., Liv., poster.).

Abscidere per translationem dicitur pro *auferre* 2, 66, 2: abscisa scelere Antoni vox publica (Liv., Tac.).

Adhaerere alcui translate dicitur pro *conjunctum esse cum alqo*, *comitari alqm*, quo sensu frequens est simplex verbum haerere 1, 9, 6: invidia altissimis adhaeret. Cf. Liv. 41, 20, 2: nulli fortunae adhaerebat animus; Plin. h. n. 10, 22 (26), 51: anser comes perpetuo adhaesisse Lacydi philosopho dicitur.

Adolescere jam inde a Sallustio et Livio saepius translata significatione usurpatur 2, 110, 2: Pannonia insolens longae pacis et adulta viribus (cf. Bœttich. lexic. Tacit. p. 42).

Adornare translate ponitur 2, 2, 2: tantis adornatus virtutibus (Liv. 28, 42, 5; Quint., Tac., Plin. ep.).

Affectare pro *sibi conciliare studere* ponitur 2, 39, 1: Gallias magna clade nostra saepe et affectavimus et omisimus (Sall. Jug. 66, 1; Tac. hist. 4, 66).

Agere consulem 2, 92, 2; agere aemulum 2, 109, 2; potius aequalem civem quam eminentem principem agere 2, 124, 2; locutio non optima quidem illa, sed jam inde a Livio usu recepta est pro eo, quod apud Ciceronem dicitur: partes alcjs agere, speciem alcjs prae se ferre. Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 109. Agere exulem, quod Allgayerus ex Vellejo affert, apud illum non invenitur. — Agere medium sequente duplici genitivo 2, 114, 3: agebatque medium plurima dissimulantis, aliqua inhibentis. — *Agere alqm reum* pro eo, quod apud Ciceronem est facere alqm reum 2, 45, 1: actus incesti reus. Cf. Ovid. met. 15, 36: spretarum agitur legum reus; Liv. 45, 37, 8: apud contionem prius reus agatur, cf. Weissenb. ad Liv. 24, 25, 1. — Quod participium ‚actus‘ a multis

Velleji interpretibus, ut a Janio et Krausio, pro genitivo substantivi actus habitum et cum ‚incesti‘ conjunctum esse valde miror.

Aggregare sequente duplici accusativo 2, 53, 1: quos comites ei fortuna aggregaverat.

Alloqui, vox raro a veteribus scriptoribus usurpata (cf. Cic. Cluent. 61, 170; hoc uno loco in orationibus exstat), a scriptoribus aureae aetatis frequentata est. Vell. 2, 62, 5: alloqui milites (Sen. phil., Plin. maj., Quint., Tac., Suet.).

Artare latiore significatione dicitur pro *restringere*, *angustius alqd facere* quacumque ratione plerumque in partic. perf. pass. artatus 1, 16, 2: artatum spatium; 1, 16, 5: adeo artatum angustiis temporum, ut nemo dignus etc.; 2, 10, 2: ita artata numero felicitas; 2, 86, 1: quis in hoc transcursu tam artati operis exprimere audeat? Cf. Liv. 45, 36, 3: contra in praemiis, in honoribus omnia artata.

Attollere vocabulum, quo saepius poetae et Livius usi sunt, a Vellejo translata significatione usurpatur pro eo, quod apud Ciceronem (Phil. 11, 14, 36) est ornare 2, 65, 1: quanto Ciceronis studio Brutus Cassiusque attollerentur (Quint., Tac., Pl. ep.).

Audere alqd. 2, 24, 1; 2, 47, 1; 2, 56, 4; 2, 61, 1 (Poetae, Sall., Liv., Tac.). Cicero hoc vocabulum conjungit cum infinitivo. — *ausus* passiva vi accipitur apud primum Vellejum 2, 80, 3: non a Scipionibus quicquam ausum patratumque fortius quam tunc a Caesare; 2, 56, 4: omnibus audendis paratissimus. Cf. Tac. ann. 3, 67: ausis ad Caesarem codicillis. Apud Liv. 39, 8, 8, quem locum Klotzius affert, nunc legitur ‚audebant‘. Pro substantivo participii neutrum ausum frequens est, cf. Neue II. p. 333.

auctorare pro: *mercede alqd faciendum suscipere vel parare* 2, 30, 1: M. Perpenna sibi turpissimam mortem pessimo auctoravit facinore. Hoc vocabulum nisi in perfecti passivi forma non admodum frequens est. Semel exstat Liv. 37, 10, 8; deinde apud Hor., Sen. phil., Plin. maj., Quint..

Cedere pro eo dicitur, quod est apud Ciceronem *procedere* 2, 14, 1: bene coepta male cedebant; 2, 18, 5: cum bene consulta ei male cederent (Poet., Corn. Nep., Sall.).

Coalescere, quod de membris aut vulneribus coeuntibus usurpatur, metonymice exstat 2, 90, 1: coalescentibus rei publicae membris; translate dicitur 2, 48, 5: coalescentis condiciones pacis discussit (Liv., Quint., Tac.).

Condere (Graece *κτίζειν*) colonias insolenter a Vellejo dicitur pro usitata locutione deducere colonias (cf. 2, 14, 1; deducere colonos 2, 3, 3) ita, ut imago urbis condendae animo scriptoris obversata esse videatur 1, 15, 1: non vacavit Romanis colonias condere. Condere insulam, i. e.

urbe condita instruere (Herod. 4, 178: κτίζειν νῆσον, Germ. ‚besiedeln') 1, 2, 3: insulam circumfusam Oceano Gadis condidit. Ponere colonias 2, 7, 2. — colonias nominare 2, 74, 2.

Coire in alqo loco *cum* alqo 2, 101, 1: cum rege Parthorum in insula, quam amnis Euphrates ambiebat, coiit. Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 241.

Consummare i. s. q. *absolvere, perficere* 2, 89, 2: nihil felicitate consummari potest; 2, 115, 4: effectus belli; 2, 117, 1: opus (Ov., Liv., poster.).

Contingere manum pro usitato *prensare manum* 2, 104. 4: contingendi manum cupiditas; cf. 2, 107, 2 (Liv. et Val. Max.: dextram).

Debellare impersonaliter passiva forma usurpatur 2, 84, 1: debellatum (est) apud Actium (Liv., post.).

Demereri sive *demerere* (nam, utrum gerundivum a verbo activo, an a verbo passivo derivandum sit, in incerto est) i. s. q. *alqm sibi conciliare, gratiam alcjs captare* 2, 102, 1: virum demerendis hominibus genitum (Liv. 3, 18, 3; Sen. phil., Tac., Suet., alii).

Disjicere, quod proprie exstat 2, 45, 3: Ciceronis domus a Clodio disjecta erat, transláte dicitur pro *irritum facere* 1, 10, 2: sic cogitationem regiam Romana disjecit constantia (Nep., Liv., alii).

Durare a Vellejo frequenter transfertur ad tempus et pro *manere, superstitem esse* usurpatur 1, 12, 7: si nomen usquam stantis maneret Carthaginis (adeo odium certaminibus ortum ultra metum durat). Cf. 2, 79, 6; 2, 85, 4 (Plaut., Lucr., Verg., Liv. 1, 9, 1).

Effundere vocem (Graece χέειν φωνήν) 2, 14, 2: effudit vocem convenientissimam conscientiae suae. Haec locutio poetis frequentissima invenitur Cic. Flacc. 28, 69. — Variato dicendi genere utitur Vellejus 1, 10, 5: quae vox oraculo emissa, i. e. edita, ut Cic. Tusc. 2, 8, 20 dicitur.

Elanguescere viribus pro: *defici viribus* 2, 111, 4: ne intra se furens viribus elanguesceret (Liv. 35, 45, 7; Cels. 5, 26, 8; Tac., alii).

Emergere de iis dicitur, qui ex tenui et obscura condicione ad opes et honores ascendunt 2, 65, 1: in quod jam emersissent fastigium (suppl. honoris). Cf. Cic. ad Att. 6, 2, 4: hac re incredibile est, quantum civitates emerserint; Lucr. 2, 13: emergere ad summas opes.

Emicare de corde dicitur pro *prosilire* 2, 70, 5: ad eum ipsum locum, qua cor emicat, impellens se in volnus (Ovid. fast. 3, 331: cor micat timore; Plaut. Cas. 2, 6, 62: cor salit).

Eniti i. s. q. *parere* 2, 95, 1: quem enixa erat Livia; 2, 104, 1: quem Julia enixa erat (Verg., Ov., Liv. 40, 4, 4: plures enisa partus; Plin. ep., Suet., al.).

Excidere vocabulum a Vellejo amatum pro *delere, diruere, vastare*

ponitur de urbe 1, 12, 2; 2, 4, 2; 2, 6, 4; excidere agros 2, 115, 2; Germaniam 2, 112, 2; exercitum 2, 120, 1; gentem 2, 12, 4 (Sall. h. fr. 2, 96, 6 D.: excidere oppida; Liv., al.). — Substantivum excidium exstat 2, 4, 3; 2, 30, 1; 2, 98, 2 (Sall., Liv.).

Experiri vi passiva usurpatur 2, 4, 2: virtuti expertae in Africa respondit in Hispania (Liv. 3, 44, 3: viro pro causa plebis expertae virtutis; loco, quem Klotzius ex Cic. Balb. 6, 16 affert, nunc legitur ‚perspecta').

Exsolvere poenas (Cicero: solvere, persolvere poenas) 2, 88, 3: et ille male consultorum poenas exsolvit. Cf. Liv. 26, 40, 15: pretia poenasque exsolvere; Tac. ann. 1, 10: poenas morte exsolvere.

Exspirare, quod vocabulum jam Sall. hist. 1, 30 (D.) et Liv. 2, 20, 9; 28, 19, 12; 28, 28, 11 posuerunt eadem significatione, qua mori, apud Vellejum invenitur 2, 120, 4: ut pariter sanguinis cerebrique effluvio exspiraret; absolute 2, 7, 2; 2, 70, 5.

Extendere. Hoc vocabulum Vellejus poetas et Livium secutus his modis usus est: 1) extendere civitatem usque Alpes 2, 6, 3. 2) extentum vitae spatium 1, 11, 6 (Plin. min.).

Fabricari passiva vi usurpatur 2, 27, 4: per cuniculos, qui miro opere fabricati fuerunt; 2, 79, 2: speciosa classi fabricata (Poetae, Sall., alii, cf. Neue II. p. 284).

Fastidire alqm 2, 15, 2: ut externos alienosque fastidire posset; 2, 77, 3: quia talem virum collegam offici Mena et Menecrates fastidierant (Hor., Verg., Liv.).

Frustrari passiva significatione dicitur 2, 43, 2: mox intellexit frustratum esse visum suum; 2, 21, 2: frustratus spe continuandi consulatus (Sall. Jug. 58, 3; cf. Neue II. p. 288).

Fugare ac fundere 2, 46, 4: ut Parthos felici rerum eventu fugaret ac funderet. Hic verborum mutatus ordo pro fundere fugareque (1, 9, 4; 2, 112, 1) non sine exemplo est, ut locus ex Sall. Jug. 21, 2 docet. Adde Draeg. II. p. 41.

Honorare alqm alqa re i. s. q. *donare*, *praemio afficere* 2, 59, 3: sacerdotio; 2, 61, 3: equestri statua; 2, 100, 4: sacerdotio, praetura, consulatu, provinciis; 2, 112, 2: ornamentis triumphalibus; 2, 119, 5: tumuli sepultura; 2, 129, 3: populum congiariis. De rebus dicitur 2, 27, 6: felicitatem diei memoria ludorum; 2, 124, 3: numen divinis honoribus (Ov., Liv., poster.).

Illidere 2, 7, 2: illiso capite in postem exspiravit; sequente dativo 2, 120, 4: ita catenas illisit capiti suo, ut protinus exspiraret (Varr. r. r. 3, 7, 10; Cic. poet. Tusc. 3, 31, 76; Verg., Ov., Val. Max., al.).

Indere alcui nomen 1, 11, 2: cui Macedonici nomen inditum erat

2, 11, 2: ei cognomen Numidici inditum (genitivus nominis rarius est); 2, 10, 2: Fabio cognomen Allobrogico inditum; 2, 91, 1: quod cognomen illi viro consensus senatus populique Romani indidit (Plaut., Sall., Liv.).

Inescare per translationem dicitur pro *allicere*, *decipere* 2, 13, 2: inescandae illiciendaeque multitudinis causa (Ter., Liv., alii).

Infestare pro *alqd infestum reddere, habere* 2, 73, 3: latrociniis infestato mari (Auct. b. Alex. 3, 2; Liv. ep. 7; Cels., Colum., Pomp. Mela).

Injicere rixam, i. e. rixae occasionem dare 1, 2, 1: Codrus rixam injiciens interfectus est (Cic. Cat. 3, 3, 7: injicere tumultum; Liv. 3, 64, 6: injicere contentionem; 34, 4, 15: injicere certamen).

Inserere translate dicitur pro: *admiscere*, *adnectere* 2, 60, 4: insertis falsis; deinde quum narrationi aliqua adjunguntur, ut 1, 14, 1: huic loco inserere; 2, 107, 1; hoc inseram (Liv., Tac., cf. Boettich. lexic. Tac. p. 278).

Insistere temporum notis, rarum dicendi genus pro: persequi vestigia temporum, i. e. historiam percurrere 1, 17, 4: quisquis temporum institerit notis.

Interrogare sententiam 2, 35, 3: inter ultimos interrogatus est sententiam, quam locutionem a Livio primo usurpatam (Liv. 36, 7, 1; sed 29, 19, 10 legitur verbum: perrogari) Val. Maximus, Seneca phil., Plinius minor et Suetonius amplexi sunt. Cicero, Tacitus, Quintilianus, Gellius: rogare sententiam. Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 616, ubi Vellejus omittitur.

Luctari per translationem significat contra ea, quae obstant, intentis viribus laborare 2, 115, 2: cum difficultate locorum et cum vi hostium luctatus. Cf. 2, 86, 2; 2, 63, 3 (Hor., Liv., alii).

Macerare translate ponitur pro *vires adimere, enervare, infirmare* 2, 112, 3: pars exercitus ad arbitrium utilitatemque nostram macerata (Plaut., Liv., alii).

Marcere, vox poetica, ab argenteae aetatis scriptoribus frequentatur. Vell. 2, 84, 2: vigebat in hac parte miles atque imperator, illa marcebant omnia (Lucr., Ov., Liv., Tac.).

Mentiri poetarum more cum accusativo junctum pro eo dicitur, quod est *falso de se praedicare* 2, 4, 1: mentitus regiae stirpis originem. Cf. Sall. Cat. 48, 6; Liv. 10, 40, 4; Just. 1, 2, 4.

Mergere naves pro usitata locutione: *demergere* naves (Auct. b. Alex. 25, 5; 64, 5; Liv. 36, 45, 3) 2, 42, 2: partem classis fugavit, partem mersit. Cf. Liv. 25, 3, 11; Plin. h. n. 32, 2 (6), 15; Eutr. 2, 20 (Adde lexic. Latin.).

Mitescere per translationem usurpatur pro *mansuescere* 2, 118, 1:

quod feritas novitate incognitae disciplinae mitesceret (cf. Liv. 33, 45, 7; 38, 17, 15; poster.).

Mutare vestem („das Kleid vertauschen“) 2, 41, 2: mutata veste nocte elapsus est (Ter. eun. 3, 5, 61 (609); Varro de l. l. 7 § 37; Liv. 22, 1, 3; Sen. ep. 18, 2). Cicero hac elocutione semper videtur ita usus esse, ut notio lugendi insit.

Nitere per translationem dicitur pro *florere, celebrem esse* 2, 9, 1: nituerunt oratores Scipio Laeliusque, Galba, duo Gracchi; de tragoedia 1, 17, 1: dulces Latini leporis facetiae per Caecilium Terentiumque et Afranium nituerunt. Cf. Liv. 3, 12, 5: Lucretius recenti gloria nitens.

Obire pro: *obire mortem* (cf. 1, 13, 1; 2, 4, 6; 2, 22, 4; 2, 91, 4) 2, 47, 2: filius intra breve spatium obiit. Cf. 2, 59, 2; 2, 102, 1. — *obire voluntaria morte* 2, 87, 3: Brutus et Cassius voluntaria morte obierunt; *morbo obire* 2, 102, 4 (Liv. 5, 39, 13: simul se cum illis obituros; cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 781).

Obniti. Hoc vocabulum, quod propria significatione apud Nepotem et Vergilium exstat, per translationem ponitur pro *obsistere, resistere* apud primum Vellejum 2, 89, 5: cum saepe obnitens repugnasset; 2, 123, 2: obnitente vi animi; sequente infinitivo 1, 9, 6: fuere, qui Pauli triumphum impedire obniterentur (Celsus 7, 17, 1 [semel]; Tacitus saepius). — Livius hoc verbo non utitur nisi in participii forma obnixus, velut 7, 33, 12: stant obnixi Samnites; cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 781.

Obtruncare pro *occidere, trucidare* 1, 1, 3: Orestes matrem obtruncat (Poet. apud Cic. de nat. deor. 3, 26, 67; Sallustius sexies; Liv. 1, 5, 7. Adde Sisenn. apud Non. p. 127 (p. 277, 15 P.).

Pensare alqd alqa re pro *compensare* (Cic. de fin. 2, 30, 97) praeeunte Sall. hist. 3, 61; 19 D. dicitur Vell. 2, 88, 3: uxor, quae praematuram mortem immortali nominis sui memoria pensavit (Sen. phil., Tac., Curt., Suet.).

Perdomare pro *subigere, in potestatem redigere* 2, 39, 2: Ciliciam; 2, 90, 1: Alpes; 2, 95, 2: gentes; 2, 97, 4: Germaniam (Sall. hist. 1, 8; Liv. 8, 13, 8).

Pollicitari vox Plautina et Terentiana jam inde a Sallustio in solutam orationem manavit. Vell. 2, 111, 1: pollicitati omnia. — *Pollicitatio* vox a Cicerone rejecta, sed a Caesare non nullis locis usurpata, invenitur 2, 18, 2: ingenti cum pollicitatione praemiorum.

Postferre alqm alcui 2, 69, 3: cum et Brutus cuilibet ducum praeferendus videretur, et Vatinius nullo nomine non esset postferendus (Liv. 3, 64, 3; Plin. maj., Sil. Ital.).

Praecipitare rempublicam 2, 49, 1: quieta, aut certe non praecipitata republica, ut Liv. 22, 12, 11: ad praecipitandam rempublicam.

Praeterire pro *superare*, *praestare* dicitur 1, 17, 7: ubi praeteriri aut aequari eos posse desperavimus (Varro r. r. 1, 1, 10; Auct. decl. in Sall. 1, 2).

Rapere se ad alqm 2, 85, 6: cum se Canidius praecipiti fuga rapuisset ad Antonium. Cf. Cic. Phil. 13, 8, 18: inde se quo furore, quo ardore ad urbem, id est ad caedem optimi cujusque rapiebat.

Rebellare i. s. q. *bellum renovare*, non: tumultum movere praeeunte Livio saepissime apud Vellejum, ut 1, 11, 2; 2, 23, 4; 2, 100, 1; 2, 110, 3.

Refrigerari passivum pro medio pro *alienari* ab alqo (Cic. Phil. 12, 4, 10) 2, 83, 2: refrigeratus ab Antonio transfugit ad Caesarem. Ruhnkenius refrigeratus per ‚frigide exceptus' interpretatur.

Resurgere per translationem de bello dicitur pro *denuo exardescere* 2, 88, 3: resurrecturi belli civilis initium restinxit (Verg., Liv., Sen. phil., Tac., Just.).

Sacrare per translationem pro *consecrare* usurpatur 2, 126, 1: sacravit parentem suum Caesar non imperio, sed religione (Poet., Liv. 39, 40, 7: vivit eloquentia ejus sacrata scriptis omnis generis).

Saevire in alqm 1, 10, 4: in ipsum saevirent; 2, 7, 4: in Gracchi amicos saevierant; 2, 13, 2: cum in multos viros saevissent; 2, 85, 3: in desertores saevire debuerat. Impersonaliter 2, 22, 1: in mediocris saevitum; 2, 84, 4: in eos saevitum; 2, 74, 4: in Perusinos saevitum; 2, 120, 4: cum in captivos saeviretur. Haec elocutio jam inde a Livio frequentari coepta est.

Sopire per translationem eadem vi ponitur, qua *sedare*, *placare*, *quiescere facere* 2, 89, 3: sopitus ubique armorum furor; 2, 125, 3: sed haec omnia imperatoris maturitas sopiit et sustulit (Cic. pro Cael. 17, 41: sopita virtus; Verg., Plin. maj., Claudian.).

Stare pro alqo, alqa re per translationem dicitur pro *causam alcjs tueri*, *alcjs partes sequi* 2, 48, 4: hic primo pro Pompei partibus, id est pro republica, mox simulatione contra Pompeium et Caesarem, sed animo pro Caesare stetit; 2, 2, 3: collegae pro bono publico stanti imperium abrogavit (Ov. art. am. 1, 200; Liv. 2, 12, 14; 38, 25, 8; Quint., Curt., Flor.).

Succlamare i. s. q. *acclamare* (cf. Plutarch. Pompej. 25: ὑπεφώνησαν ἅπαντες) 2, 32, 1: succlamavit universa concio ‚Te, Quinte Catule' (Cf. Brut. apud Cic. fam. 11, 13, 3: succlamatum ei est; Liv., Val. Max., Flor.).

Superesse i. s. q. *superstitem esse* 2, 119, 5: non enim desertis superfuit, sed desertor occidit (Plaut., Asin. Poll. apud Cic. fam. 10, 33, 5; Liv., Plin. ep., Suet.).

Superfundere propria significatione c. dativo conjunct. reperitur 2, 22, 2: incisis venis superfusoque sanguine altaribus (Ov., Liv., Col., Quint., Plin. min.).

Tendere ad alqm 2, 115, 2: per gentes immunis adhuc clade belli tendens ad Tiberium (tendere ad castra Liv. 9, 37, 10; alter ad alterum tenderemus Plin. ep. 1, 5, 9). — tendere cursu ad alqm 2, 70, 2: agmen cursu ad eum tendentium, ut apud Sall. Jug. 91, 4: cursu tendere ad Capsam.

Tolerare vitam (fristen) 2, 19, 4: Marius inopem vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium toleravit. Cf. Buenem. ad Lact. 3, 17, 5 p. 353 (e), qui locos affert hos: Caes. b. G. 7, 77, 12: tolerare vitam; b. c. 3, 49, 3: cognoscebant equos eorum tolerari ‚würden noch notdürftig erhalten'; b. c. 3, 58, 4: equitatum tolerare. Apud Ciceronem tolerare hac significatione non exstat.

Tollere absolute dicitur pro eo, quod apud Ciceronem est: de medio, ferro, veneno, funditus tollere 2, 91, 3: ut quo salvo salvus esse non poterat, eo sublato moreretur. Brut. apud Cic. fam. 11, 20, 1 tollere absolute quidem ponitur sed ita, ut per ambiguitatem accipiendum sit aut pro de medio tollere aut pro laudibus efferre. — *Tollere* liberos poetarum more usurpatur pro *nutrire* atque *educare* 1, 11, 6: quatuor filios sustulit (Plaut., Ter., Poet. apud Cic. de div. 1, 21, 42; Quint. 4, 2, 42).

Torpere per translationem dicitur 2, 61, 1: torpebat oppressa dominatione Antoni civitas; hoc verbum torpere verbis, quae sequuntur, Vellejus ipse explicat: vis ad resistendum nulli aderat. Cf. Liv. 1, 41, 3; 6, 23, 6. — Sallustius usus est eadem significatione vocabulo torpescere, velut Cat. 16, 3; Jug. 2, 4.

Urere jam inde a Livio per translationem pro *premere, urgere* exstat de iis rebus, quae gravissimae et molestissimae sunt, ut pestilentia, inopia, fames, alia. Vell. 2, 77, 1: populum gravis urebat annona.

Vacare alcui rei non numquam idem significat, quod *operam dare, se dedere,* quam significationem posterioribus scriptoribus usitatissimam ne optimi quidem scriptores videntur repudiasse. Cf. Cic. de div. 1, 6, 11: ego philosophiae semper vaco. Vell. 2, 114, 1: huic uni negotio animus vacat. Vacat imperson. sequente infinitivo 1, 15, 1: non vacavit Romanis colonias condere (Verg., Ov., Plin. ep., Quint.).

Variari passiv. imperson. dicitur 2, 51, 3: variatum deinde proeliis. Cf. Liv. 7, 22, 10: variatur comitiis; 22, 60, 3: variatur sententiis.

Velare translate usurpatur pro *ornare* 2, 71, 3: cum se insignibus honorum velasset; 2, 82, 4: corona velatus aurea (Verg., Ov., Liv. 1, 32, 6: capite velato filo).

Videor pro: *mihi videor* 1, 14, 1: huic rei civitatem propagatam auctumque Romanum nomen subtexturi videmur. Hanc locutionem ne Ciceronem quidem repudiasse docet Allgayer in Krebsii Antibarb. ed. V. p. 1203 (falso legitur Vell. 2, 14, 1).

Vivere pro *in ore omnium* (*hominum*) *esse* 2, 66, 5: vivit vivetque (Cicero) per omnem seculorum memoriam (Cic. Lael. 27, 102; Sen. de benef. 3, 5, 2; Plin. ep. 2, 1, 11). —

Non nulla apud Vellejum inveniuntur formae verborum minus usitatae, quarum has annotandas putavi:

assenserim 1, 7, 2; cf. Neue II. p. 270. — extentus 1, 11, 6; 2, 70, 2; cf. Neue II. p. 570. — immixtus 1, 2, 1 (veteres editores scripserunt immistus); cf. Neue II. p. 556. — nequiit 2, 68, 2; cf. Neue II. p. 522. — nequiverint 1, 16, 5; cf. Neue II. p. 526. — norat 2, 46, 2; cf. Neue II. p. 532. — nosset 2, 45, 1; cf. Neue II. p. 532. — pariturus foret (a pareo) 2, 90, 3; cf. Neue II. p. 586. — reversus 2, 42, 3; cf. Neue II. p. 346; tamen revertit Vell. 2, 40, 2; 2, 50, 1. Quare Haasius et Halmius legunt ‚revectus'. — serviit 1, 13, 3; cf. Neue II. p. 522. — sopiit 2, 125, 3; cf. Neue II. p. 622. Alia similia.

Rarius fit, saltem apud meliores solutae orationis scriptores, quamquam ab hoc usu ne Cicero quidem plane alienus est, ut tempora praeterita per *fui*, *fueram* cum participio futuri activi aut perfecti passivi conjuncta fingantur. Cf. Draeger, hist. Synt. II. § 134. p. 252. Apud Vellejum tales formas inveni, velut fabricati fuerunt 2, 27, 4; passuri fuissemus 2, 125, 1; temperaturus fuerit 2, 85, 6. — Formae perfecti pass. et futur. act. et passiv., quibus forem = essem dicitur, exstant hae: admissum foret 2, 8, 1; arcessendus foret 2, 123, 2; commissurus foret 2, 37, 4; consequendum foret 2, 128, 3; deserturi forent 2, 55, 3; dispersi forent 2, 21, 1; eundum foret 2, 5, 3; eversi forent 2, 115, 4; excedendum foret 2, 68, 5; parituri forent 2, 90, 3. Cf. Zumptii Gramm. Lat. § 156. p. 124 (ed. XIII.).

De Adverbiis.

His adverbiis Vellejus primus videtur usus esse:

Difficile pro eo, quod est apud Ciceronem difficiliter, apud Varronem, Caesarem, Sallustium, Livium, al. difficulter dicitur 2, 63, 3: Plancus sibi

difficile consentiens (Cels. 8, 10, 1; Plin. maj., Suet., Just., al.). Cf. Neue II. p. 658; Draeger, hist. Synt. I. p. 106.

Hodieque pro: *hodie quoque* apud Vellejum primum saepius exstat, velut 1, 4, 2 et 3; 1, 11, 3; 2, 8, 3; 2, 25, 4; 2, 27, 5; 2, 61, 3; 2, 81, 2; 2, 98, 1 (Val. Max. 8, 15, 1; Sen. phil., Plin. maj., Quint., Suet.). Cf. Krebs-Allg. Antib. ed. V. p. 253; Draeger, hist. Synt. II. p. 43.

Honorate invenitur 2, 129, 3: quam illum et honorate nec secure continet? Cf. Tac. hist. 4, 63 ed. Nipp.; alii, ut Halmius legunt: honorata custodia eum habuerant. Compar. honoratius Val. Max. 5, 1, 11; Just. 5, 4, 13; superl. honoratissime Val. Max. 2, 10, 2.

Immature i. s. q. *ante tempus constitutum* 2, 116, 4: Licinius Nerva Silianus praereptus immature (Cels. 6, 18, 3; Col. 11, 2, 3; Sen. suas. 1, 14; Auson. ep. 22). Comp. immaturius (haud) Apul. met. 6, 16.

Infacete pro *insulse*, *ineleganter* dicitur 2, 33, 4: Lucullum haud infacete Magnus Pompejus Xerxen togatum vocare assueverat (Suet. Vesp. 20: non infacete; Solin. 1 § 85: non infacete; superl. inficetissime Plin. h. n. 35, 4 (8), 25).

Secure 2, 129, 3: quam illum et honorate nec secure continet (Val. Max. 4, 7. ext. 1 nunc legitur securo; Sen. contr. 1, 3, 7; Plin. ep. 1, 4, 3; Suet. Ner. 40; comparat. securius Sen. de tranq. 10, 6; Plin. ep. 2, 17, 6; Just. 5, 9, 10; Quint. 7, 2, 43).

Tergiversanter (*ἅπ. εἰρημ.*) i. s. q. *cum detrectatione* 1, 9, 3: filius ejus Pauli, qui ad Cannas quam tergiversanter perniciosam rei publicae pugnam inierat. —

Adverbia haec aut alia significatione atque apud veteres scriptores, aut rarius apud illos exstant.

Abunde satis frequenter a Vellejo usurpatur pro *large*, *copiose*, velut: abunde mirari 1, 16, 2; 2, 116, 4; abunde vituperare 2, 17, 1; abunde persequi alqd 2, 103, 4; abunde agnoscere 2, 116, 3. Raro hoc adverbium invenitur apud veteres scriptores (cf. Cic. de div. 2, 1, 3); frequentius apud Sallustium et Posteriores.

Amplius semper omissa particula *quam* a Vellejo ponitur 2, 11, 3; 2, 12, 4 et 5; 2, 15, 3; 2, 20, 4; 2, 21, 1; 2, 23, 3; 2, 24, 3; 2, 47, 1; 2, 56, 2; 2, 80, 2; 2, 112, 2; 2, 113, 1. Cf. Zumptii Gramm. Lat. § 485. — *Nihil amplius praeter* invenitur 2, 58, 2.

Ante = *potius* 2, 49, 4: cum M. Cato moriendum ante, quam ullam condicionem civis accipiendam reipublicae contenderet. Hunc usum fortasse apud solum Vellejum invenias.

Excelse per translationem dicitur apud Ciceronem tantum de genere dicendi (orat. 34, 119: excelsius et dicet et sentiet); apud Vellejum

omnino pro *excellenter*, *magnifice* ponitur 1, 6, 3: Sparta excelsissime floruit.

Proprie significat *praecipue*, *in primis*, sive ut vulgo loquuntur *stricto sensu* 2, 9, 2; C. Mucius juris scientia quam proprie eloquentiae nomine celebrior fuit. Cf. Kritz ad Vell. 2, 9, 2; Frotscher ad Quint. 10, 1, 114.

Quantum .... tantum cum superl. reperitur 2, 11, 1: quantum bello optimus, tantum pace pessimus. Sequente positiva forma adjectivi Verg. georg. 4, 101; Hor. sat. 2, 5, 80.

Salubriter, quod apud veteres scriptores dicitur, ubi de valetudine corporis quaeritur, jam inde a Livio per translationem ponitur pro *utiliter*, *commode* 2, 89, 4: leges latae sunt salubriter.

Segniter (semper addita negatione *non*) 2, 69, 2: non segniter cervicem dare; 2, 87, 1: non segniter se interemit; non segnius se interemit 2, 6, 6; non segnius vita abiit 2, 35, 5 (Nep., Sall., al.).

Speciose i. s. q. *ornate*, *magnifice* 2, 45, 3: cujus domus speciose a senatu restituta est (Plin. h. n. 35, 7 (31), 49: speciose vehi). Comparativus hujus adverbii exstat apud Horatium, Livium, alios; superlat. apud Auct. b. Afric. 48, 6; Sall., Liv., al.

Subinde pro: *crebro*, *per intervalla* 2, 65, 1: cum Antonius subinde Caesarem admoneret (Liv., Col., Plin. ep., Suet.).

Ultro semel apud Vellejum exstat 2, 120, 6: ultro Rhenum cum exercitu transgreditur. De vi et usu hujus vocis videas Doederl. Synon. Lat. III. p. 102 et 110; Boettich. lexic. Tac. p. 474; Kritz ad Sall. Jug. 15, 1. p. 93.

Valide. Hanc plenam formam Vellejus semper usurpat, velut 2, 29, 5: timeri validius; 2, 98, 3: validius diligere (Plaut., Cael. apud Cic. fam. 8, 2, 1; Plin. ep.).

Varie pro *varia fortuna* dicitur 2, 38, 4: Hispania varie possessa; per translationem usurpatur, ubi de moribus et indole Tiberii Neronis sermo fit 2, 101, 1: tam varie se gessit (i. e. tam varios in utramque partem in bonam et in malam discedentes mores prae se tulit).

Viritim per translationem dicitur pro *nominatim*, *singulatim* 2, 16, 3: ipsum viritim civitate donando (Hor. ep. 2, 1, 92; Sall. Jug. 49, 4; Col., Plin. maj., Sen. phil., Tac., Curt.).

De ratione syntactica.

Restat jam, ut quam in syntaxi rationem secutus sit Vellejus videamus. Sed quoniam earum rerum, quae ad hoc genus pertineant, jam

unam alteramve supra commemoravimus, ea tantum afferemus, quae ab usitata dicendi consuetudine maxime videantur recedere aut apud optimos scriptores minus sint frequentia. In non nullis vero rebus si multus fuerim, veniam peto.

Singularis numerus verbi ponitur, ubi subjectum ad *duas* vel *complures* personas pertinet 2, 9, 1: nec praetereundus Metellus et Scaurus; 2, 9, 6: Vetustior Sisenna fuit Caelius Claudiusque Quadrigarius et Valerius Antias; 2, 54, 2: bellum, quod ciebat rex Juba et Scipio. Cf. Zumptii Gramm. Lat. § 373.

Constructio illa *κατὰ σύνεσιν*, qua fit, ut nomini collectivo pluralis verbi numerus adjungatur, invenitur 1, 16, 5: adeo artatum angustiis temporum, ut nemo memoria dignus alter ab altero videri nequiverint; 2, 35, 4: ut major pars ordinis equestris Ciceronem prosequerentur domum; 2, 19, 4: cum alter alteri possent esse solatio.

Appositio, quae dicitur *partitiva* vel *distributiva*, reperitur 2, 71, 3: Drusus Livius et Varus Quintilius alter se ipse interemit, Varus autem jugulatus est. Cf. Draeg. hist. Synt. I. p. 3.

Genitivi objectivi minus usitata exempla afferantur haec: adjutorium belli 2, 112, 4; amor partium Pompeianarum 2, 62, 6; cura belli 2, 97, 2; cura frugum 2, 25, 1; infamia pecuniae 2, 32, 2 (Caes. b. c. 1, 4, 5); segnitia non vindictae injuriae 1, 1, 1; injuriae avi 1, 8, 4 (injuriae sociorum Sall. Jug. 14, 19); ultio inimicitiarum 2, 7, 6; ultio noxiorum 2, 125, 3.

Genitivus ille, quem *proprietatis* vere dixeris, reperitur 2, 69, 2: decem legiones in eo tractu sui juris fecerat; 2, 108, 2: finitimos omnis aut bello domuit aut condicionibus sui juris fecit.

Genitivus non nullis adjectivis, quae vocantur, relativis adjungitur:

Acer belli 1, 3, 1 (acer militiae Tac. hist. 2, 5); tamen acerrimus bello 2, 18, 1 (Verg. Aen. 10, 411). Cicero hoc adjectivum cum praepositionibus, quae sunt in et ad, conjungit. — capax fortunae 2, 93, 2 (Ov., Sen. trag., Tac., Plin. ep., Curt.). Propria significatione jam Livius dixit: cibi vinique capacissimus 9, 16, 13. — eminens c. genit. 1, 12, 2: Scipio Aemilianus ingeni ac studiorum eminentissimus seculi sui. Haec structura apud solum Vellejum videtur exstare. — fortissimus animi belique 2, 27, 1 (Nep. Paus. 1, 2 manu fortis dixit; apud Ciceronem sequuntur praepositiones in et ad). — immodicus gloriae 2, 11, 1 (Sall. hist. 1, 114 D.: immodicus animi; Col., Tac., Sil., Stat.). Tamen immodicus *in* appetendis honoribus 2, 33, 3. — immunis delictorum paternorum 2, 7, 2 (Liv. 7, 7, 5; Ov. her. 14, 8; Tac. ann. 1, 36). — Tamen immunis c. abl. 2, 35, 2; 2, 46, 2; 2, 115, 2 (Liv. 1, 43, 8). — immunis ab ar-

bitris 2, 14, 3 (Sen. phil., Plin. maj., Suet.). — impatientissimus quietis 2, 23, 1 (vid. p. 26). — inops copiarum 2, 111, 4 (Cic.). — insolens pacis 2, 110, 2 (Cic.). — irritus consili 2, 63, 2 (Tac. hist. 4, 32; Curt. 6, 5, 31). — laetus nocturnae expeditionis 2, 42, 3; laetus animi et ingeni 2, 93, 2 (Sall. hist. 2, 91; Tac. ann. 2, 26). Tamen laetus eo ipso 2, 113, 1; laetus victoria 2, 115, 2. Cf. Rudimanni Instit. Gramm. II. p. 74. — medius c. dupl. genit. 2, 114, 3. — modicus virium 1, 12, 4. — immodicus gloriae 2, 11, 1 (Col., Tac., Sil., Pers.). — patientissimus armorum laborumque 2, 34, 1; patiens militarium officiorum 2, 105, 2 (Sall. Cat. 5, 3; Liv. 21, 31, 11). — potens decem et septem legionum 2, 65, 1 (Liv., Tac., al.). — prodigus fortunae 2, 48, 3 (Poet., Gell., Amm. Marc.). — proximus nominis ac fortunae 2, 114, 5 (Klotzius falso affert Liv. 1, 21, 1; ibi enim genitivi *legum* ac *poenarum* ex substantivo *metus* pendent. Cf. Weissenborn ad Liv. 1, 21, 1. Cicero dativum huic adjectivo adjungit). — scientissimus juris 2, 4, 1. Cf. 2, 79, 1; 2, 88, 2 (Cic.). — securus incrementi 2, 109, 4 (Hor., Ov., Verg., Quint., Tac.). Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. p. 1056. — sterilis studiorum 1, 18, 3 (Tac. hist. 1, 3; Plin. h. n. 15, 30 [39], 130; 33, 7 [40], 119). — tenax amicitiarum 2, 29, 3; tenax exempli sui 2, 84, 3 (Poet., Col., Quint., Plin. ep., Suet.).

De usu *dativi*, *accusativi* et *ablativi*, de quo jam disseremus, in universum monemus Vellejum verbis, quibus veteres scriptores plerumque praepositionem soleant addere, unum alterumve casum obliquum adjecisse, quam consuetudinem jam inde a Sallustio et Livio in linguam Latinam manasse inter omnes constat.

A *dativo* initium capiemus. Quod attinet ad adjectivum, quod est *similis*, Vellejus Livium secutus modo cum dativo conjungit velut 1, 12, 3; 2, 6, 1; 2, 35, 2; 2, 68, 1; 2, 91, 3; 2, 130, 5; modo cum genitivo, velut 1, 17, 5; apud Sallustium semper dativus sequitur. — Dissimilis c. *dat.* conjungitur 2, 73, 1.

Non nullis deinde *verbis simplicibus dativus* adjungitur, ubi praepositio quaedam apud optimos scriptores usitatior est:

Aequatus c. dat. 2, 99, 1: tribuniciae potestatis consortione aequatus Augusto; 2, 111, 3: necdum senator aequatus senatoribus etiam designatis tribunis plebei (Lucr., Verg., Liv., poster.). — alienare c. dat. 2, 112, 7: avi sui animum alienavit sibi (Liv. 44, 27, 7; Sen. ep. 82, 15). Apud Ciceronem semper sequitur praepositio a. — copulatus c. dat. 2, 12, 1: copulatum sibi quaestorem habuit (Cic. de div. 2, 69, 143). — se destinare c. dat. 2, 81, 3: victor Caesar compluris domos per procuratores publicis se usibus destinare professus est. — destinatus 1, 12, 1: destinatus ei bello gerendo consul Memmius; 2, 47, 2: inter destinatos tanto

discrimini duces (Cic. pro Sest. 30, 66; ad fam. 10, 25, 2; Liv. 38, 29, 7; Quint. 1, 1, 8). — genitus demerendis honoribus 2, 102, 1 (Sall. hist. 3, 54); genitus *in* omnium virtutum exempla adolescens 2, 116, 2. Pariter apud Vellejum invenitur: natus mendacio 2, 118, 1 (Sall. Jug. 31, 11); natus ad omnia 2, 129, 1. — jungere c. dat. 2, 76, 2: consiliis suis illectum ducem junxit Antonio; 2, 80, 2: exercitum Pompei sibi junxerat; 2, 106, 3: exercitui Caesarique se junxit (Cic.). — conjungere facta consiliis 2, 79, 1. — miscere c. dat. 2, 5, 3: mixtus timori pudor (Ov., Liv. 23, 4, 7; 24, 31, 3); se miscere c. dat. 2, 86, 3: cum Antoni animum partibus ejus se miscuisset (Jct.). — immixtus castris hostium 1, 2, 1 (Liv.). — se parare c. dat. 2, 43, 2: alterutri se fortunae parans; 2, 56, 4: omnibus audendis paratissimus (Just. 26, 2, 2: se proelio parare). — servare justo operi 2, 99, 3 (Cic. de rep. 1, 45, 69).

Saepius *verbis compositis dativus* subjungitur pro praepositionibus, quae sunt frequentiores apud optimos scriptores:

Abdi carceri 2, 91, 4 (Haase et Halm; a Kritzio immerito, ut mihi videtur, ablativus ‚carcere' defenditur; videas, quae de ea re doctissime disputavit Klotzius in lexico Latino sub verbo ‚abdo'). — abdere et se abdere *in* c. accus. 2, 110, 3 et 2, 19, 2. — abstrudi terrae 2, 129, 3. Hanc formam ‚terrae' rectius pro casu locativo habendam esse docet Kritzius ad Vell. 2, 129, 3. Cf. Rudim. Instit. Gramm. II. p. 274. — accedere (= assentiri) iis, qui ita prodiderunt 1, 8, 5 (Sen. phil., Quint., Tacit., al.). Cicero: accedere ad (consilium, condiciones). — adhaeret invidia altissimis 1, 9, 6 (Hor. sat. 2, 2, 56; Liv. 41, 20, 2; apud Ciceronem sequitur praepositio in). — advolvi genibus alcjs 2, 80, 4 (Liv. 8, 37, 9; 28, 34, 4; cum accus. conjunctum est hoc verbum Sall. hist. inc. 92; Tacit. ann. 1, 13; 6, 49; 15, 71; hist. 4, 81). — appelli ripae 2, 107, 2 (Verg. Aen. 7, 39; Liv. 25, 26, 4; 30, 10, 3 Wssb.).—Cicero aut praepositionem ad huic verbo adjungit, aut accusat., velut Ver. 5, 25, 64: appellitur navis Syracusas; cf. Vell. 1, 1, 1: Cyprum appulsus et Liv. 45, 5, 1: classis Samothracam est adpulsa. — assuetus commilitio 2, 29, 5; militiae 2, 117, 2. Cf. Duker ad Liv. 10, 17, 10; Verg., Tac. Cicero ablativum huic verbo adjunxit. — circumfusus legionibus et equitatui regio 2, 112, 4 (Ov., Liv., Tac., Curt.). — conferre aerario 1, 9, 6; in aerarium 2, 39, 2 (dat.: Nep., Suet., Plin. ep.). — evenit idem grammaticis 1, 17, 4 (= pertinet ad) pro *in* c. abl., qui usitatior est, velut 1, 16, 5: hoc in Graecis quam in Romanis magis evenit. — inducere caliginem omnibus viris 2, 36, 1 (Poet., Plin. maj., Quint., Curt.). — injicere moles mari 2, 33, 4 (Cic. Verr. 5, 41, 106; poet. de div. 1, 12, 19; Plin. maj., Suet.); injicere lorum in col-

lum 2, 19, 2. — inserere manus caelo 2, 103, 4 (Poet., Liv. 27, 23, 2; 33, 47, 4; Val. Max., Cels., al.). — insistere summis gradibus Capitoli 2, 3, 1; transl. insistere temporum notis 1, 17, 4 (Caes. b. G. 2, 27, 3; Liv., al.). — praeparare exercitum majori operi exercendo 2, 109, 2 (se praeparare poenae Sen. contr. 1, 3, 11; se praeparare pugnae Plin. h. n. 8, 20 (29), 71; apud Ciceronem sequitur praepositio ad). — prosternere se pedibus 2, 114, 4 (Cic. Phil. 2, 18, 45: se prosternere ad pedes). — rediit cultus agris 2, 89, 4; rediit animus Pompejanis partibus 2, 62, 1 (Poet., Liv. 2, 22, 3). — se subducere praesenti tempori 2, 93, 3 (Nep. Alc. 4, 4: se subd. a custodibus; Cic. ad Quint. fr. 3, 4, 1: de circulo se subduxit). — subtrahere se discrimini 2, 86, 3 (Col. 1, 9, 6: se subtr. labori. Cf. Quint. 7, 4, 39; 12, 9, 21; Cicero praepositionem ab huic verbo adjungit). — suffigere cruci 2, 42, 3, ut Cic. Pis. 18, 42; Val. Max. 2, 7. ext. 1; 6, 2. ext. 3; patibulo suffigere Just. 22, 7, 8 et Apul. met. 10, 12, 904 ed. Hildebr. — suffigere in cruce Hor. sat. 1, 3, 82 et Auct. b. Afr. 66, 4; suffigere in crucem Just. 18, 7, 15.

Dativus adjectivis his, quae vocant, relativis additur, id quod apud superiores scriptores rarius fit.

Absurdus regulae operis 2, 38, 1. Hoc uno loco apud solum Vellejum adjectivum absurdus cum dativo videtur conjunctum esse. — discors patri 2, 37, 3 (Tac. ann. 3, 42; 11, 6; 14, 38). — diversus poetarum more c. dat. conjungitur pro usitato ab c. abl. 2, 75, 2; 2, 80, 2. — habilis armis 2, 110, 3; habilis gubernaculo gens 2, 113, 2 (Hor., Verg., Liv. 24, 48, 5, poster.). — pronior regis partibus 1, 9, 2 (Tac. ann. 4, 29; Agr. 41; Suet. Galb. 12; Cicero pronus ad dixit). — secundus alcui = ab alqo 2, 11, 1: nulli secundum; 2, 76, 1: vir nulli secundus (Poet., Liv. 23, 10, 7; Curt. 5, 10 [28], 3; 8, 14 [51], 43).

Dativus commodi praepositioni *contra* opponitur 2, 124, 1: ut nec bonis neque contra malos opus armis foret.

Dativus pro *ab* c. abl. ad agentem personam significandam repetitur 2, 39, 1: Gallias primum Domitio Fabioque, nepoti Pauli, intratas saepe affectavimus; 2, 113, 2: quae cuique probarentur.

Accusativi verbis simplicibus copulatisque non nullis subjuncti exempla minus usitata haec sunt:

Adire propria significatione c. acc. personae conjungitur 2, 40, 2: victor omnium, quas adierat, gentium; 2, 107, 3: victor omnium gentium locorumque, quos adierat. Cf. Caes. b. G. 3, 7, 1; 3, 11, 2; Cicero praepositione ad utitur. Adde Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 83. — demereri alqm 2, 102, 1: virum demerendis hominibus genitum (Ov., Liv. 3, 18, 3; Quint., Tac., Suet.). — descendere montem 2, 25, 4 paulo inso-

lentior dictio, quacum comparari potest illud Ciceronis (de fin. 2, 34, 112) ‚cum maria ambulavisset, terram navigavisset‘. Cf. Auct. incert. de orthogr. p. 2783 P. — excedere modum 2, 122, 2, ut Liv. 28, 25, 8; Curt. 6, 9 (34), 18; Plin. ep. 2, 4, 4; 2, 11, 8; 6, 21, 6; 7, 33, 10; 8, 24, 10. Cicero dixit: transire modum de off. 1, 29, 102; extra modum prodire de off. 1, 39, 140; ultra modum progredi Tusc. 4, 17, 38. — intelligere c. acc. 2, 114, 5: quem quisque aut cognoscere aut intelligere potuit; 2, 116, 4: quem virum ne qui intellexit quidem abunde miratus est (Sen. de const. sap. 1, 3; Quint. 11, 1, 10; Tac. ann. 3, 3; Plinii ambo). — irritare necem 2, 66, 3 (Haase et Halm). Cf. Doederlein, Synon. I. p. 157. Kritzius Lipsii conjectura accepta scripsit ‚invitando‘ necem. Cf. Kritzium ad locum. — mederi c. acc. 2, 25, 4: in medendis corporibus (Ter., Vitr., Suet.). — praecedere propria significatione c. accus. conjungitur 2, 129, 3; translata 2, 114, 1: gradum nostrum aut praecedentes aut sequentes. — Livius hoc verbum et proprie et translate semper c. accus. conjungit; apud Caesarem uno loco accusativus ponitur (significatione translata) b. G. 1, 1, 4; Cicero, Nepos, Sallustius, Tacitus vocabulum praecedere plane repudiaverunt.

Praeterfluere c. acc. 2, 106, 2: Albis, qui Semnonum fines praeterfluit (Sall. hist. 2, 18 [D.]; Liv. 24, 3, 2; 41, 11, 3). — respectare alqm proprie dicitur 2, 107, 2: sine fine respectans Caesarem (Lucr. 6, 1234: funera; Liv. 4, 18, 6: arcem Romanam; Tac. Agr. 37: alius alium respectantes). — saltare Glaucum 2, 83, 2 (Ov. art. am. 1, 501; Hor. sat. 1, 5, 63; Tac. or. 26; Suet. Ner. 54; Plin. pan. 64). — silere alqm 2, 18, 1: vir non silendus (Hor. od. 1, 12, 21; Liv. 27, 10, 7; Plin. pan. 64). — spectare frontem aedium 1, 11, 3 (Poet., Sall. hist. 3, 58; Liv. 25, 9, 10; 33, 17, 5, al.; apud Ciceronem praepositiones in et ad sequuntur. Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 1088).

Accusativus, quem *Graecum* grammatici vocant, a poetis frequentatus invenitur 2, 41, 2: dissimilem fortunae suae indutus habitum; 2, 46, 2: qui vir cetera sanctissimus. Cf. Zumptii Gramm. Lat. § 458.

Non numquam *accusativus* appositionis loco toti alicui enuntiationi additur, velut 2, 69, 6: dum ea geruntur Cassius Rhodum, rem immanis operis, ceperat; 2, 130, 2: quanta cum quiete hominum rem perpetui timoris, supplementum, providet (Col. 4, 18; Sen. de brev. vit. 5, 19, 2). De hujus accusativi usu conferas, quae Madvigius ad Cic. de fin. 2, 23, 75 disseruit.

Ablativus ponitur ad significandam diuturnitatem temporis, id quod haud rarum est apud scriptores argenteae aetatis, velut 1, 1, 3: vixit annis nonaginta, regnavit septuaginta; 1, 1, 4: regnavere triennio. Cf. 1,

6, 1; 1, 7, 3; 1, 12, 5; 2, 47, 2; 2, 98, 2. Cf. Zumptii Gramm. Lat. § 396 et Kritzium ad Sall. Jug. 54, 1. p. 295. Adde Caes. b. c. 1, 47, 3: quod quinque horis proelium sustinuisssent.

Ablativus comparationis reperitur his exemplis: audito crudelior 2, 25, 3; exspectato ocius 2 122, 2 Halm; exspectato maturius 2, 123, 2; justissimo (Haase cautissimo; Halm aequissimo) lenior 2, 25, 3.

Ablativus absolutus cum particulis *quasi*, *velut* conjungitur, qua structura optimi scriptores non utuntur 2, 100, 5: quasi cujuslibet uxore violata poenas pependere; 2, 47, 3: velut reconciliatis sibi optimatibus. Cf. 2, 64, 4; 2, 117, 1. Videas quoque, quae de hoc usu disseruit Weissenbornius ad Liv. 1, 14, 8.

Ablativus separationis nonnullis *verbis* adjungitur, ubi apud veteres scriptores sequi solent praepositiones: Abire vita 2, 35, 5 (Cic. Tusc. 1, 30, 74: abire e vita). — decurrere clivo Capitolino 2, 3, 2 (Hirt. b. G. 8, 41, 3; Caesar praepositionem ex; Livius ex, ab, de usurpaverunt). — deerrare recto 2, 3, 4 (Col. 2, 2, 15; Quint. 1, 5, 46; 12, 10, 64; Cornific. ad Herenn. 1, 9, 14: deerrare ab). — *defluere* ore Socratico (transl.) 1, 16, 4 (Poet.; apud Ciceronem sequitur praepositio de). — non deterreri proposito 2, 5, 3 (Sall. Jug. 98, 5; apud Ciceronem sequitur ab). — egredi urbe 2, 18, 4 (Caes. b. G. 2, 11, 1; 4, 24, 1; Sall., Liv. — Cicero egredi ex dixit). — excedere Italia 2, 28, 2; 2, 76, 2; 2, 80, 2 (Caes. b. c. 2, 27, 2; Liv. 37, 1, 6; sed Cic. Phil. 12, 6, 14: excedere ex Italia). — excedere (transl.) natura 2, 68, 5, ut Cic. Brut. 75, 262 excedere vita. — excire gentem sedibus 2, 108, 1. Eadem locutio Liv. 31, 14, 12; 32, 13, 6; Curt. 3, 2 (5), 12. — ortus alqo 1, 4, 1: Chalcidenses orti Atticis (Sall. Cat. 31, 7; Liv. 1, 32, 1; 1, 34, 5 et 6; 9, 46, 1; apud Ciceronem sequitur praepositio ab). — separare alqd alqa re 1, 16, 2: animalia separata alienis (Ov., Lucr.); Cicero: separare alqd ab alqa re.

Ablativus adjectivis his additur, id quod rarius est apud optimos scriptores: Cogitatione celer 2, 73, 1; sensu celer 2, 118, 2 (Poet., Plin. h. n. 14, 3 [4], 42). — gravis aetate et corpore 2, 76, 1 (Liv.); gravis vulnere 2, 55, 4 (Liv.). — immunis vitiis 2, 35, 2; imm. voluptatibus 2, 46, 2; imm. clade belli 2, 115, 2; immunis ab arbitris 2, 14, 3. — medius c. abl. loci 1, 2, 2: urbs media Corintho Athenisque; medius animo 1, 9, 2; medius eloquentia 2, 29, 3. — orbus omnibus sensibus 1, 5, 3 (Cic.). — peritus bello 2, 29, 3 (Cic. pro Cluent. 38, 107: jure peritior; peritus usu Caes. b. c. 3, 93, 1; peritus scientia bellandi Auct. b. Afr. 31). — promptus manu 2, 73, 1 (Liv.); manu fortis 2, 118, 2. — strenuus impetu 2, 73, 1 (Tac.). — suspectus societate consili 2, 35, 4 (Liv. 24, 9, 10; Val. Max. 7, 3, 7; Tac. hist. 1, 46; Curt. 8, 6

[21], 1). — tranquillus vultu vitaque 2, 127, 4. — trux ferocitate 2, 95, 2 (Tac.).

De Modis.

Indicativus ponitur in *oratione obliqua*, cujus structurae ne apud optimos quidem scriptores desunt exempla. Cf. Kuehn. Livian. Synt. p. 235; Madv. latein. Sprachlehre § 369 Anmerk. 2; Zumpt. Gramm. Lat. § 553 Anm. 1. — Vell. 2, 27, 2: adiiciens numquam defuturos raptores Italiae libertatis lupos, nisi silva, in quam refugere solent (Halm ‚solerent') esset excisa. Cf. Kritz ad Sall. Jug. 38, 9 p. 322. — 2, 94, 2: qui, quantus est, sperari poterat; 2, 117, 3: concepit esse homines, qui nihil haberent praeter vocem hominum quique gladiis domari non poterant, posse jure mulceri.

Indicativus perfecti usurpatur, ubi conjunctivus plusquamperfecti exspectatur 2, 52, 2: plerique hortabantur, ut in Italiam transmitteret (neque hercules quicquam partibus illis salubrius fuit), alii ut bellum traheret etc. Cf. Zumpt § 518.

Indicativus perfecti in apodosi enuntiationis condicionalis usurpatur addita protasi per imperfecti conjunctivum 1, 18, 3: quae urbes cunctae liberalium studiorum fuere steriles, nisi Thebas unum os Pindari illuminaret. Cf. Zumpt § 519b.

Praesentis indic. pro futuro ponitur 2, 32, 1: si quid huic acciderit, quem in ejus locum substituitis? Cf. Drakenb. ad Liv. 3, 56 4 (Weissenborn et Hertz ‚jubebo').

Quod attinet ad usum *conjunctivi* apud Vellejum, primum est commemorandum solum conjunctivum non numquam positum esse pro *ut* particula sequente conjunctivo, velut post: denuntiare 2, 80, 2 (Plin. ep. 6, 31, 12); legem ferre 2, 45, 1; petere 2, 107, 1. Cf. Kuehn. Livian. Synt. p. 227.

Raro fit, ut conjunctivus perfecti verborum deponentium usurpetur, si in incerto relinquitur, quid scriptor de re narranda sentiat, velut 1, 18, 2: neque ego hoc magis miratus sim. Vid. Madv. de form. quar. verbi Latini natura et usu 2. p. 24.

Conjunctivus perfecti cum imperfecto conjunctus exstat 1, 9, 1: ut plerumque superior fuerit magnamque partem Graeciae in societatem suam perduceret. Kritzio de hoc usu disputanti discrimen tale videtur esse, ut perfecti conjunctivus judicio scriptoris, imperfecti narrationi inserviat. Cf. Haase ad Reissig. Gramm. Lat. § 314 not. 480 p. 550.

Conjunctivus particulis *ubi*, *simul* et pronominibus *quicumque*, *quisquis* adjungitur 2, 29, 3: nisi ubi vereretur . . . . modestissimus; 2, 88, 2: vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis . . . . simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis fluens; 2, 62, 2: laudati quicunque iis se exercitus tradidissent; 2, 100, 3: quicquid liberet pro licito vindicans. Locutionem illam veteribus scriptoribus non usitatam nisi in oratione obliqua Livius frequentare coepit.

Conjunctivus, quem vocant *hortativum*, non numquam per particulam *non* fingitur, velut 2, 9, 6: sane non ignoremus; 2, 12, 6: non fraudetur gloria; 2, 86, 3: non praetereatur Pollionis factum. Contra: ne fraudetur memoria 2, 92, 1. Cf. Hand Turs. IV. p. 265 sqq.

Perfectum cum *praesenti* conjungitur 2, 118, 3: primo paucos, mox pluris in societatem consili recepit; opprimi posse Romanos et dicit et persuadet. Cf. Kritz ad Sall. Cat. 20, 2 p. 95 et ad Jug. 12, 4 p. 63.

Infinitivus a Vellejo his adjectivis et verbis adjungitur, quae litterarum ordine afferam.

A) *Infinitivus* conjungitur cum *adjectivis* his:

Haud absurdum est 2, 121, 2; haud absurdum videtur 2, 38, 1 (absurdum est cum inf. Cic. de nat. deorum 2, 11, 31). — neque prius neque antiquius quicquam habere quam 2, 52, 4 Haase (Kritz et Halm posuerunt ut (infin. semel apud Ciceronem [ad fam. 13, 29, 3]). — contentus c. inf. praes. 2, 49, 5 (Cels. 1. prooem. p. 8, 30 (D.); Sen. de ira 3, 24, 1; de cl. 1, 21, 3). — c. inf. perf. 2, 103, 5; 2, 112, 6; 2, 120, 6 (Cels. 7, 15 extr.; Sen. ep. 75, 2; 85, 41). Adde exemplis, quae Th. Vogelius diligentissime collegit in libello, cui titulus est: Symbolae ad linguae latinae thesauros. Misenae 1867. 4° (Liv. 24, 29, 7 a recentibus editoribus legitur ‚libertate' pro liberatos). — familiare est 2, 30, 3 (Plin. ep. 4, 24, 7). — nec quicquam laetius est quam 2, 71, 1 (Sil. It. 3, 575 et saep. apud hunc poetam). — longum est 2, 42, 1 (Ter., Cic. acad. pr. 2, 36, 117). — moris est 2, 40, 3 (Halm accus. c. inf.). Moris est sequente infinitivo a Vellejo, Tacito, Plinio minore dicitur. Cf. Schwarzium ad Plin. paneg. 13, 3 et 82, 5. Draegerus in hist. synt. II. p. 344 dicit: ‚Bei moris est habe ich den Infinitiv nirgends gefunden'. — nefas est 2, 37, 4 (Caes. b. G. 7, 40, 7; Liv. 23, 5, 13; fas est c. inf. Cic. pro Quinct. 30, 94, quem infinitivum apud Ciceronem exstare negat Kuehn. p. 248). — parum habere 2, 76, 4 (Sall. Jug. 31, 9; Liv. 42, 3, 6). — solitus 2, 118, 1: feritas solita armis decerni (Sall. Jug. 4, 5). — supervacaneum est 2, 36, 2 (Sall. Cat. 51, 19; 58, 11). — turpe est 2, 37, 4 (Cic. de am. 21, 77; 26, 99; Liv. 3, 61, 3). — tutum est 2, 110, 3 (Caes. b. G. 3, 24, 2; poster.).

B) *Infinitivus* conjungitur cum his *verbis*: assuevisse 2, 33, 4 (Cic. de fin. 1, 4, 11; de inv. 1, 2, 3; Liv., cf. Kuehn. p. 251). — audere 2, 22, 5; 2, 24, 5; 2, 54, 1; 2, 86, 1; 2, 91, 3; 2, 113, 3; 2, 130, 3. Cf. Merguet, Lexicon z. d. Reden d. Cicero I. p. 347 sqq. — coepi c. inf. act. 1, 12, 6; 1, 14, 6; 2, 53, 2; 2, 60, 3; 2, 94, 3; 2, 102, 2; 2, 112, 7; coepi c. inf. pass. 1, 8, 3: archontes coeperunt in denos annos creari (Sall. Cat. 12, 1; 51, 40; Jug. 41, 10; 92, 1; hist. 3, 67, 9; 3, 67, 70; Liv., cf. Kuehn. p. 251; Plin. ep. 10, 96 (97), 10; pan. 40). Apud Caesarem coepi c. inf. pass. non exstat; Cic. Tusc. 1, 13, 29 nunc legitur ‚tractari coepta sunt' et Tusc. 3, 27, 66 afflictari pro medio accipiendum est. Cf. Kuehner ad Cic. Tusc. 1, 13, 29; praeterea cf. Draeger histor. Synt. I. p. 137. — cogere 1, 9, 4; 2, 23, 6; 2, 41, 1; 2, 61, 4; 2, 66, 2; 2, 71, 3; 2, 111, 1; 2, 130, 4 (Cic. fam. 12, 30, 7; ad Att. 3, 19, 3 (Wesenb. ‚ut'); Liv., cf. Kuehn. p. 251). — conor 2, 27, 4; 2, 34, 2; 2, 46, 3; 2, 119, 1; 2, 125, 2 (Cic. pro Quinct. 20, 62; pro Rosc. Am. 19, 54; Liv., cf. Kuehn. p. 251). — constituere 2, 57, 3; 2, 82, 4 (Caes. b. G. 1, 3, 1; 3, 1, 4; 4, 6, 5, al.; Liv., cf. Kuehn. p. 252). — mihi contingit 2, 101, 2; 2, 121, 3; 2, 124, 2 et 4 (Cic. pro Arch. 3, 4). — convenit 1, 3, 2 (Cic. de rep. 1, 6, 11; Tusc. 3, 10, 21; 4, 19, 43; de fin. 2, 10, 32; ad fam. 11, 3, 3; Liv., cf. Kuehn. p. 252). — decernere 2, 50, 2; 2, 110, 4 (Caes. b. G. 4, 17, 1; 5, 5, 4; 5, 53, 2; Auct. b. Afr. 61, 5). — debere 2, 33, 3; 2, 50, 3; 2, 95, 3; 2, 108, 1; 2, 115, 3 (Liv., cf. Kuehn. p. 252). — depudet alqm 2, 73, 3 (apud solum Vellejum). — desinere 1, 2, 1; 1, 8, 3; 1, 12, 7; 1, 17, 7; 2, 4, 7. — destinare 2, 110, 4 (Caes. b. c. 1, 33, 4; Liv. 7, 33, 13; 43, 7, 3; Nep. Eum. 2, 4). — doceri ab alqo 2, 19, 4 (Cic. de rep. 4, 6, 6; Sall. Jug. 85, 33; Cat. 25, 2). — festinare 2, 59, 5 (Cic. Phil. 3, 9, 24; fam. 3, 6, 2; 10, 33, 2; Liv. 1, 25, 9; 34, 59, 6; 40, 11, 7; Sall. Jug. 21, 3; 64, 4; 68, 1; 81, 4; Auct. b. Alex. 27, 5). — gestire 2, 7, 1 (Cic. de fin. 4, 4, 8; 5, 18, 48; Phil. 4, 6, 14; fam. 6, 20, 1; ad Att. 2, 7, 4). — parum habere c. inf. perf. 2, 76, 4 (Sall. Jug. 31, 9). — incipere 1, 11, 2 (Cic. de nat. deor. 2, 3, 9; Tusc. 1, 49, 117; 5, 1, 3; Caes. b. G. 7, 40, 7). — indignari 2, 29, 4 (Poetae, Liv. 34, 5, 13; Quint. 1, 1, 8; 1, 2, 10). — ingredi 2, 119, 4 (Cic. de div. 2, 1, 3; de rep. 2, 1, 1; ad Att. 15, 11, 2; top. 1, 1). — instituere 1, 15, 3; 2, 6, 3 (Cornific. ad Herenn. 4, 3, 6; Cic. de rep. 2, 10, 18; Tusc. 2, 3, 9; de fin. 1, 9, 29; de or. 3, 1, 1; Sall. Jug. 18, 9; Caes. b. G. 3, 28, 3, al.; Liv., cf. Kuehn. p. 252). — interest 2, 72, 2; 2, 127, 2 (Cic. pro Mil. 21, 56). — jubere 2, 70, 2 (Liv., cf. Kuehn. p. 253). — libet 2, 32, 2. — licet 2, 107, 1; 2, 124, 2. — malle 2, 17, 1; 2, 66, 1; 2, 91, 4; 2, 102, 3; 2, 119, 4 (Liv., cf. Kuehn. p. 253). — merere 1, 5, 1: solus appellari

poeta meruit (Ov. trist. 5, 11, 16; Sen. de ir. 1, 17, 6; de clem. 1, 5, 6; ep. 93, 10; Quint. 10, 1, 72; Tac. ann. 15, 67; Plin. ep. 7, 20, 1; pan. 6. 46. 70. 73. 88. Adde hos locos Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 701); merere *ut* 2, 130, 3 (Cic. de or. 1, 54, 232). — nolle 2, 15, 4; 2, 32, 2; 2, 33, 1; 2, 45, 2 (Liv., cf. Kuehn. p. 253). — obniti 1, 9, 6 (obnixus c. inf. Verg. georg. 4, 84; niti c. inf., cf. Kuehn. p. 249 et 253). — ordiri 2, 109, 5 (Cic. Brut. 6, 22; de legg. 1, 4, 14). — perseverare 2, 103, 3 (Cic. pro Quinct. 8, 31; 21, 66; fam. 7, 29, 1; 9, 16, 8; de am. 7, 24; Caes. b. G. 1, 13, 3; b. c. 2, 22, 4; 3, 37, 2; Liv. 3, 64, 8; 24, 48, 3; 37, 53, 1). — placet 2, 77, 2; 2, 110, 1 (Cic. ad fam. 9, 15, 3; Caes. b. G. 3, 3, 4; Liv., cf. Kuehn. p. 253). — posse 1, 8, 5; 2, 7, 5; 2, 14, 3; 2, 21, 3 (Liv., cf. Kuehn. p. 253). — proponere (sich vornemen) 2, 53, 1; 2, 60, 2. Veteres dixerunt: mihi propositum est ut vel sequente infinitivo, cf. Kuehn. p. 254. — refert 2, 72, 2. — satis habere c. inf. perf. 2, 124, 1 (Ov. met. 15, 4; Quint. 9, 4, 15); satis est c. inf. perf. Cic. de inv. 1, 20, 28; Liv. 8, 24, 18. Hudem. in Klotzii lexico Latino hunc infinitivum perf. apud optimos scriptores non inveniri contendit. — solere 1, 2, 2; 1, 4, 1; 2, 3, 3; 2, 27, 2; 2, 43, 3; solitus c. infin. 2, 118, 1. — statuere 1, 12, 2; 1, 14, 1; 2, 60, 5; 2, 79, 1; 2, 91, 3; 2, 95, 1; 2, 108, 2; 2, 109, 5; 2, 113, 2; cf. Kuehn. p. 254. — sustinere 2, 22, 5; 2, 40, 4; 2, 81, 1; 2, 86, 2 (Liv. 23, 9, 7; cf. Kuehn. p. 254; Plin. pan. 26. 60. 86). — tentare 2, 25, 1; 2, 113, 3 [Haase] (Liv. 32, 21, 10. epit. 30). — vacat mihi 1, 15, 1; 2, 124, 1 (Cic. fam. 12, 13, 2; Sen. de vit. beat. 27, 4; Quint. 11, 1, 50; Plin. ep. 1, 22, 11; 8, 15, 1; 9, 16, 1; Kuehn. p. 254).

Accusativus cum infinitivo additur *verbis* his:

Haud absurde dicere 2, 77, 1; 2, 83, 3 (Tac. ann. 13, 14: non absurde dicere). — adjicere 2, 27, 2 (Quint. 1, 2, 29; 5, 10, 95; Tac. ann. 2, 33; 4, 21; Curt. 7, 5, 25). — apparet 2, 11, 3; 2, 28, 2; 2, 50, 1; 2, 120, 3 (Varro de l. l. 7, 25; Cic. Phil. 2, 34, 84; Nep. Alc. 3, 3; Att. 4, 1; 10, 5; Liv. 4, 6, 6); sequente enuntiatione relativa 2, 112, 7. — censere (beschliessen) 2, 35, 4; 2, 58, 2 (Cic. Phil. 5, 12, 31; 5, 19, 53; 11, 15, 40; de off. 1, 13, 39; Caes. b. c. 2, 30, 1; Liv. 2, 4, 3). — censere (glauben) 2, 130, 1 (Cic. Brut. 91, 314; de off. 1, 33, 120; 2, 7, 25; Phil. 12, 9, 22; fam. 15, 14, 4; ad Att. 10, 11, 4). — clamitare 2, 85, 4 (Cic. Tusc. 2, 25, 60; Cael. apud Cic. fam. 8, 12, 2; Caes. b. G. 5, 7, 8; 5, 29, 1; Curt. 6, 7, 27; 9, 8, 7; 10, 7, 10; Sen. ep. 104, 1; Suet. Cal. 58; Tac. ann. 12, 7; hist. 2, 29). — cogere 2, 42, 2; 2, 71, 3 (Cic. Brut. 14, 55; Liv. 8, 13, 1). — cognoscere 2, 129, 3 (Cic. ad Att. 16, 16, 3; Caes. b. G. 5, 21, 2; b. c. 2, 21, 2); sequente enuntiatione relativa 2, 112, 5. — colligi potest 2, 7, 5 (Cic. off. 2, 16, 57; Col. 3, 10, 13; Quint. 7, 3, 18;

Tac. or. 27 in.). — concipere (suppl. animo) 2, 117, 3 (Cic. off. 3, 29, 107; Cels. 7. praef. extr.). — in confesso est 2, 85, 5 (Plin. h. n. 35, 8 [34], 54; Tac. or. 25 in.). — confidere 1, 17, 5 (Cic. Verr. 5, 69, 177; Att. 1, 10, 2; 6, 7, 1; 16, 16, 16; de off. 3, 2, 5; Caes. b. G. 1, 23, 3; b. c. 2, 10, 1; Sall. Cat. 17, 7; Jug. 26, 1; Liv. 4, 32, 6). — contendere (verlangen, fordern) 2, 48, 1 (Cic. *ut* et *ne* praeter unum locum, qui est in epist. ad Quint. fr. 1, 1, 13 [38]). — contendere (behaupten) 2, 49, 4 (Cic. Planc. 19, 48; Sest. 50, 107; Nep. Them. 7, 2). — denuntiare 2, 55, 3; 2, 65, 1 (Cic. Quinct. 6, 27; de or. 1, 22, 103; de rep. 3, 11, 19; Phil. 6, 3, 5; Caes. b. G. 1, 36, 6; 5, 54, 1). — desperare 1, 17, 7; 2, 82, 2 (Cic. de div. 2, 21, 48; de or. 1, 21, 95). — dicere 2, 1, 5; 2, 59, 5; 2, 116, 4. — dictitare 2, 27, 2; 2, 57, 1; 2, 58, 2; 2, 60, 2; 2, 83, 2. — dissimulare 2, 24, 4 (Cic. Att. 8, 1, 4). — docere 2, 126, 5 (Cic. Att. 16, 8, 1; Caes. b. G. 5, 1, 7; 7, 33, 3). — expedit 2, 58, 2 (Cic. Phil. 13, 8, 16). — fateri 2, 99, 4 (Cic. de am. 12, 40; de fin. 1, 12, 42). — graviter ferre 2, 2, 2. — non iniquo animo ferre 2, 30, 3. — ignorare 2, 9, 6, (Cic. de rep. 3, 18, 28). — non est inhoneste 2, 37, 4 (Gell. 10, 19, 1). — instituere 2, 6, 3 (Suet. Aug. 31). — intelligere 1, 16, 1; 2, 13, 2; 2, 43, 2 (Cic. de natura deor. 1, 17, 44; Caes. b. G. 1, 10, 2; 1, 13, 2; 2, 8, 3; 3, 14, 1; al.). — interest 2, 72, 2; 2, 127, 2 (Cic. fam. 2, 4, 1; 4, 10, 2; ad Quint. fr. 2, 4, 1). — jubere 1, 10, 1 et 2; 2, 18, 2; 2, 32, 2; 2, 61, 2; 2, 82, 4. — jubere (noetigen) 2, 29, 2. — jurare 2, 31, 1; 2, 92, 4 (Caes. b. c. 1, 76, 2; 3, 13, 3; Nep. Hann. 2, 5). — magis est 1, 13, 5 (Dig. 7, 1, 41; 46, 3, 72); magis est quod Cic. Att. 16, 5, 2. — minari 2, 125, 2 (Plaut., Ter., Suet. Caes. 24). — mirari 1, 3, 3; 1, 16, 2; 1, 18, 2; 2, 30, 3 (Cic. ad fam. 1, 9, 12); mirari quod 1, 5, 3. — nefas est 2, 45, 5; 2, 60, 2 (Cic. de sen. 5, 13). — negare 2, 1, 5; 2, 42, 3; 2, 62, 5; 2, 118, 4 (Cic. or. 8, 27; de fin. 2, 21, 68; Caes. b. G. 1, 8, 3). — ostendere 2, 85, 4; 2, 109, 1 (Cic. ad Att. 1, 1, 4; Caes. b. G. 1, 8, 3). — pati 1, 16, 1; 2, 76, 2; 2, 109, 4; 2, 129, 3 (Cic. pro Lig. 1, 3; ad fam. 1, 5a, 3; Nep. Cim. 1, 4. Cf. Kuehn. p. 253). — perseverare 2, 92, 3 (Cic. am. 7, 24). — persuadere 2, 118, 3 (Nep. Dion. 3, 3; Caes. b. G. 5, 29, 5; 6, 14, 5). — non placet alcui 2, 60, 1 (Caes. b. G. 7, 29, 4; b. c. 3, 83, 3; Liv. 10, 18, 3; 29, 4, 2). — polliceri c. acc. et inf. fut. 2, 20, 2 (Cic. de or. 2, 36, 153; ad fam. 1, 5a, 3; Caes. b. G. 1, 33, 1; 2, 35, 1; al.). — praedicare 2, 123, 3 (Caes. b. G. 6, 18, 1; Nep. Thras. 1, 4). — praedicere (warnen, raten) 1, 13, 4; rara elocutio pro: praedicere *ne*. — praefari 2, 37, 4 (Suet. Caes. 28; Just. 11, 5, 5). — praetexere 2, 62, 3 (Tac. hist. 1, 72). — probare 2, 47, 5 (Cic. Verr. 1, 4, 10; Caes. b. G. 1, 3, 6). — profiteri

2, 81, 3; 2, 118, 4 (Cic. de or. 1, 22, 103; pro Mur. 13, 28; Caes. b. G. 7, 2, 1; 7, 37, 6; b. c. 3, 19, 3; Auct. b. Alex. 59, 2). — promittere c. acc. et inf. fut. 2, 14, 3; 2, 81, 3 (Cic. Phil. 5, 18, 51; pro Mur. 41, 90; ad Att. 9, 7, 5; Auct. b. Hisp. 18, 7). — proponere c. acc. et inf. fut. 2, 6, 5 (Caes. b. G. 1, 17, 1). — putare 1, 5, 3; 2, 3, 4; 2, 25, 1; 2, 128, 1 (Cic. Phil. 12, 12, 28; acad. pr. 2, 18, 56). — reri 2, 12, 2; 2, 49, 5 (Cic. top. 20, 78; ad Att. 7, 3, 12; Auct. b. Afr. 88, 6). — respondere 1, 2, 1; 2, 4, 5 (Cic. pro Lig. 8, 23; Sall. Jug. 11, 6). — sentire 2, 124, 1; 2, 128, 3; 2, 131, 2 (Cic. Catil. 2, 3, 5; de rep. 2, 31, 53; ad fam. 1, 5a, 1). — speculari 2, 118, 2 (hoc verbum cum enuntiatione relativa conjungi assolet). — sperare c. acc. et inf. fut. 1, 12, 7; 2, 92, 4 (Cic. Tusc. 1, 34, 82; ad fam. 1, 5b, 2; Caes. b. G. 5, 41, 8; 6, 7, 4; 7, 26, 2; Hirt. b. G. 8, 10, 1). — testari 2, 68, 5 (Cic. de div. 1, 58, 132; pro Quinct. 21, 66; pro Cluent 8, 23). — vetare 2, 6, 3; 2, 92, 3 et 4 (Cic. de rep. 1, 17, 27; de or. 2, 24, 100; ad fam. 5, 13, 3; Caes. b. G. 2, 20, 3; 7, 33, 3; b. c. 1, 41, 4; 3, 75, 1; Auct. b. Afr. 57, 2). — vociferari 2, 27, 2 (Cic. pro Rab. Postum. 8, 21; Liv. 2, 65, 3; 10, 29, 3). — velle 2, 48, 1; 2, 102, 1; omisso verbo esse 2, 3, 1. Cf. Kuehn. p. 255.

De Particulis.

In particularum usu haec sunt digna, quae afferantur:

Adeo non . . . . ut jam inde a Sallustio eadem fere vi dicitur, qua *tantum abest ut* 2, 66, 4: famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. — *adeo nemo* praecedentibus verbis ne .... quidem 2, 67, 1: hujus totius temporis fortunam ne deflere quidem quisquam satis digne potuit, adeo nemo exprimere verbis potest (adeo = tanto magis). Cf. Hand Turs. I. p. 154. — *Alioqui.* Ante Livium praeter Lucretium, qui semel posuit 3, 415, quamquam Lachmannus versum omisit, nullus videtur exstare scriptor, qui hoc vocabulum usurpaverit. Cf. Handii Turs. I. p. 237, qui Vellejum omisit. Exstat ter apud Vellejum 2, 2, 2: vir alioqui vita innocentissimus. Cf. 2, 7, 3; 2, 33, 1. Variato dicendi genere Vellejus dixit 2, 119, 4: at Vala Numonius, cetera quietus ac probus. Cf. Sall. Jug. 19, 7; Liv. 1, 36, 5; Bentl. ad Hor. ep. 1, 10, 3. — *Adhuc* pro *etiamtunc* ponitur 2, 9, 4; 2, 16, 3; 2, 30, 2; 2, 103, 3; 2, 115, 2. Cf. Hand Turs. I. p. 160. — *Deinde post* per abundantiam dicitur Vell. 2, 23, 3, ut Nep. Eum. 5, 5; Gell. 3, 9, 5. — post deinde Ter. Andr. 3, 2, 3; Sen. de ben. 2, 34, 1; Gell. 1, 3, 28; 3, 10, 7; Lact. 7, 5, 21. — dein postea Cic. pro Mil. 24, 65. — deinde

postea Tusc. 4, 1, 2. — postea deinde Cels. 3, 4 p. 80, 33; 7, 18 p. 295, 31. — *Ecquandone* 2, 14, 2: ecquandone, propinqui amicique, similem mei civem habebit respublica; ut Apul. apol. 25 p. 34, 3 Kr. (Cic. de fin. 5, 22, 63 hoc vocabulum sequente *nisi* particula usurpavit.). — *Et* pro *etiam* ponitur 1, 18, 1; 2, 111, 1, ut apud Caes. b. c. 3, 9, 8; alias; Sall., Liv. — *Hinc* . . . . *illinc* 2, 84, 2 jam inde a Livio dicitur. Adde Draeg. hist. Synt. II. p. 91. — *Inde* vi causali subjecta apud scriptores argenteae, quae vocatur, aetatis in usu esse coepit. Nam locus, quem Handius (Turs. III. p. 364) ex Cic. de nat. deor. 2, 23, 61 affert, nunc correctus est. Cf. Reis. Inst. Gramm. Lat. p. 468 not. 435. Apud Vellejum *inde* causae potestatem habet 2, 22, 5: fieretque inde nocens (Halm scripsit: is nocens). — *Interdum* . . . . *interdum*, quod Vell. 2, 109, 2 invenitur, jam dicitur Cic. orat. 59, 201; ad Att. 12, 14, 3. Adde lexico Latino Klotzii, qui locos nonnullos ex Celso contulit. Omissa est altera particula interdum 2, 110. 1. — *Jam* . . . . *jam* . . . . *jam* pro *modo* . . . . *modo* . . . . *modo* exstat 2, 114, 2: jam medici, jam apparatus cibi, jam in hoc solum importatum instrumentum balinei nullius non succurrit valetudini. Cf. Hand Turs. III. p. 144; Draeger II. p. 90. — *Mox* praeeunte Livio pro *deinde*, *paulo post* ponitur 1, 1, 2; 2, 7, 3; 2, 128, 2. — primo . . . . mox 2, 30, 5. — mox . . . . nunc 2, 14, 3. — *Nec non* fere pro *et* dicitur tantum ad annectendum aliquid novum 2, 95, 2: multis urbium et castellorum oppugnationibus nec non directa quoque acie feliciter functi. ‚His particulis qui meliore aetate pro *et* in soluta oratione usi sint, non reperio praeter Varronem (de r. r. 1, 13, 35) et Trogum (IV, 1; VI, 3).‘ Ruhnkenius. — *Nec non* etiam apud Ciceronem (Parad. 1 § 8) inveniri, sed alio sensu docet Fritschius ad Hor. serm. 2, 6, 108. — *necdum* pro *nondum* dicitur 2, 111, 3: necdum senator aequatus senatoribus. Adde Draeg., Stil u. Synt. d. Tacitus § 118 p. 40. — *nec* pro *et non* 2, 88, 2: non minus Agrippa Caesari carus, sed minus honoratus; quippe vixit angusti clavi insigni contentus, nec minora consequi potuit, sed non tam concupivit. Cf. 2, 101, 1. Cf. Draeger, Stil u. Synt. d. Tacitus p. 40 § 120. Adde Sall. Cat. 32, 1. — *Nunc* . . . . *nunc* in enarrandis rebus pro usitata locutione *modo* . . . . *modo* saepius apud Vellejum invenitur, velut 1, 17, 6; 2, 2, 2; 2, 62, 3; 2, 79, 5; 2, 98, 2; 2, 118, 1; 2, 119, 2 (Poet., Liv., poster.). Cf. Hand Turs. IV. p. 342; Draeger, hist. Synt. II. p. 89. — *nunc* . . . . *nunc* . . . . *nunc* 2, 11, 3; *nunc* . . . . *mox* 2, 63, 3. Cf. Hand Turs. IV. p. 342. — *Pariter* sequente *que* poetarum more reperitur 2, 41, 3: ut pariter iis terrori venerationique esset. Cf. 2, 120, 4. Vide Buenem. ad Lact. 4, 1, 1 p. 424. — *Primum* . . . . *iterum* . . . . *tertio* 2, 40, 5 rarius dicitur pro *primum* . . . . *iterum* . . . .

tertium. — *Quamlibet* particula Ovidio grata (cf. Buenem. ad Lact. 1, 3, 14 p. 19) cum participio conjungitur 2, 41, 1: quamlibet festinantem; 2, 3, 4: quamlibet in tenuem recepta tramitem (Cael. apud Cic. ad fam. 8, 10, 3: quamlibet tenue munusculum; Plinii ambo; Quint. Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 969). — *Quamquam* post adjectivum, quocum conjungitur, ponitur 2, 44, 1: diverso quamquam tempore. Adde Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 970. — *Que .... que* in duplici enuntiatione relativa usurpatur 2, 113, 1: quique sub Caesare fuerant quique ad eum venerant (Liv. 1, 55, 6; Quint. 3, 7, 10; Plin. ep. 8, 6, 14). Cf. Zumpt § 338; Reisigii Inst. Gramm. § 237; Draeger II. p. 76. — Apud Sallustium que .... que duo vocabula conjungunt, quorum aut ambo aut alterum pronomen est, velut Cat. 9, 3: seque remque publicam; Jug. 21, 4: seque illisque dignum. Cf. Indic. Dietsch. — *que .... et* Vell. 2, 3, 1: privatusque et togatus; 2, 77, 1: Caesaremque et Antonium (Sall. Jug. 26, 1; Caes. b. G. 7, 27, 1; Auct. b. Afr. 93, 1; Liv. 29, 22, 11). Cf. Draeger II. p. 74. — *Simul .... simul* pro *partim .... partim*, *tam .... quam* non a Cicerone quidem, sed ab historicis dicitur 2, 22, 4: simul exitiali hausto spiritu, simul incluso suo mortem obiit (Caes. b. G. 4, 13, 5; Liv. 3, 68, 6; 31, 46, 11; 31, 47, 6; Tac. Agr. 25 et 36). — *Non tantummodo .... sed quoque* 2, 110, 5: in omnibus autem Pannoniis non disciplinae tantummodo sed linguae quoque .... erat exercitatio. Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. ed. V. p. 1126. — *Ut* additur locutionibus his: adjectum est, ut 2, 28, 4; impetrato, ut 2, 107, 2; in hoc tantum ira excessit, ut 2, 68, 5. — *Utinam* non adjecto verbo quodam cum adjectivo conjungitur 2, 28, 3: primus ille et utinam ultimus; 2, 105, 1: gens utinam minus mox clade nostra nobilis. Cf. Curt. 10, 9, 6: domus utinam perpetua. — *Utinam non* pro *utinamne* 2, 116, 3: utinam non testatum esset. Cf. Cic. ad Att. 11, 9, 3; Curt. 8, 8, 7. — *Velut* pro *velut si*, *quasi* 2, 5, 3: velut ad certam mortem eundum foret; 2, 18, 4: velut poeniteret ejus fidei (saepius apud Livium; cf. Weissenb. ad Liv. 31, 1, 1).

De Praepositionibus.

Ad. *Ad* hoc semel a Vellejo usurpatur eadem significatione, qua *praeterea* 2, 113, 1 (Sall. saepissime. Cf. Indic. Dietsch. p. 146; Liv. 6, 20, 8). *Ad* pro *in* c. acc. cum terrarum hominibus conjungitur 2, 120, 5: mittitur ad Germaniam. Cf. Caes. b. G. 5, 22, 1: ad Cantium nuntios mittit; Eutr. 2, 14: rex ad Siciliam profectus est. Parere *ad* omnia 2, 23, 6, ut Liv. 5, 42, 4: pavere ad omnia; 25, 38, 17: paventes ad nec-

opinatum tumultum. Cf. Hand Turs. I. p. 107; Naegelsb. lat. Stil. p. 340 (ed. IV.). — *Adversus.* Ingratissimus adversus merita Caesaris 2, 69, 1. Cf. Sen. de ben. 5, 7, 3. — *Circa* apud Vellejum et deinde saepius apud scriptores arg. aetat. usurpatur 1) de tempore, ut apud Livium et poetas: circa quod tempus 1, 6, 5; circa haec tempora 1, 10, 6; circa eadem tempora 2, 8, 2; circa tempora conjurationis 2, 93, 1; circa ea tempora 2, 92, 1. 2) Rarissime per vocem *circa* vita et aetas hominis alicujus ita designantur, ut ipsius nomen pro tempore ponatur, velut 1, 17, 1: in Attio circaque eum Romana tragoedia est (Quint. 2, 4, 41; 2, 17, 7; 12, 10, 6. Cf. Hand Turs. II. p. 65). 3) *Circa* ad cognoscendum loci cujusdam situm dicitur pro *ad* vel *apud* et haec omnia pro *in*. Cf. Walchii emend. Liv. p. 25. Exempla Vellejana sunt haec: circa Numantiam 2, 4, 2; circa Fidentiam 2, 28, 1; circa Ciliciam 2, 32, 4; circa Thurios 2, 68, 2; circa Lesbum 1, 2, 3 (hoc loco intelligimus Lesbum ipsam et circumjectas insulas); circa Picenum agrum 2, 21, 1; circa multiplices Piraeei portus 2, 23, 3 (cf. Liv. 31, 3, 5). 4) *Circa* pro adverbio exstat 2, 81, 3: templum Apollinis et circa porticus facturum promisit (Ov., Liv., cf. Fabri ad Liv. 21, 43, 4). — *Cum* ante pronomen relativum positum est 1, 12, 6: cum qua; 2, 85, 4: cum quo. Cf. Greefium in Philolog. vol. XXXII. p. 711 sqq. — Queri *cum* deis 2, 130, 3, ut Ov. met. 10, 724: questaque cum fatis. Cf. Hand Turs. II. p. 148; Naegelsb. lat. Stil. p. 747 (ed. IV.). — *De. De* industria rixam injiciens 1, 2, 1. Cf. Hand Turs. II. p. 219. — *Extra. Extra* dilationes positus 2, 79, 1. — *In* c. acc. interdum terminum significat, ad quem res aliqua producitur, quod Germanice dicunt ‚bis zu', velut dimicare in mortem 2, 85, 4. Cf. Tac. ann. 4, 45: L. Pisonem adortus uno vulnere in mortem adfecit; 14, 8: fusti caput ejus adflixit in mortem. Cf. Hand Turs. II. p. 316. *In* finalem quandam vim habet in locutionibus, quae sunt: in hoc 2, 41, 3 (Liv. 23, 2, 9; Plin. ep. 1, 17, 2); in id ipsum 2, 27, 4; in hoc solum 2, 114, 2. Cf. Hand Turs. III. p. 320. Praeterea dignae, quae commemorentur, locutiones sunt: in gratiam alcjs 2, 41, 2; fides in Caesarem 2, 54, 1; in tantum 1, 13, 5; in tantum, ut 2, 30, 6; 2, 53, 3; in tantum . . . . in quantum 1, 9, 3; 2, 43, 4; in quantum 2, 120, 1; in quantum . . . . in tantum 2, 114, 5. — perducere in hoc, ut 2, 96, 1 (perducere huc, ut 2, 1, 5). — *In* sequente ablat. *In* pro *cum* 2, 87, 1: in morsu ejus (aspidis) spiritum reddidit. Cf. Hand Turs. III. p. 263. — Venalis *in* omnia et *in* omnibus 2, 83, 2, rarum dicendi genus, de quo conferas Kritz ad Vell. 2, 83, 2. — Multiplex *in* virtutibus 2, 105, 2. — Eloqui in partibus 2, 126, 1 (Hand Turs. III. p. 277). — *Infra.* Se metiri *infra* alqd 2, 127, 4. — *Infra* se alqm videre pro eo,

quod est alqm despicere 2, 76, 4 (Sen. Thyest. 366: infra se videt omnia). — *Infra* servos dicitur de eo, qui liberum ingenium exuens dedignatur se servis submittere aut servis parere 2, 83, 1: infra servos cliens. Cf. Tac. ann. 13, 2: neque Neroni infra servos ingenium. — *Per omnia* jam inde a Livio dictum est pro *in omnibus*, *omnino*. Vellejus ita locutus est 2, 31, 1; 2, 33, 1; 2, 35, 2; 2, 40, 2; 2, 69, 6; 2, 100, 3. — *Post*. Argenteae, quae vocatur, aetatis scriptores cum annorum nomine composuerunt nomen rei actae, velut 1, 10, 5: alterum ex suis liberis ante paucos triumphi, alterum post pauciores amisit dies (Just. 14, 3, 8). Cf. Hand Turs. IV. p. 494. — *Post* poetarum more cum pronomine ‚hoc' collocatur et pro *postea* dicitur 2, 21, 4: post hoc Cn. Pompejus decessit. Cf. Hand Turs. IV. p. 494. — Post se = se mortuo 2, 123, 2. — *Sine*. Homeri illuxit ingenium sine exemplo maximum 1, 5, 1. — sine fine = semper 2, 107, 2: sine fine respectans Caesarem. — *Ultra* de temporis spatio dicitur 1, 12, 7: adeo odium certaminibus ortum ultra metum durat. Cf. Sen. ep. 102, 4: ultra extremum diem curas transmittere; Quint. 9, 2, 88: ut non durat ultra poenam abdicationis. — *Ultra* translate ad personas collocatur, velut 2, 88, 2: vir otio ac mollitiis paene ultra feminam fluens; 2, 118, 2: juvenis ultra barbarum promptus ingenio. — *Usque* pro *usque ad* in primis significationes urbium sequitur et eas voces, quae in eo numero habentur, velut 2, 6, 3: usque Alpes extendebat civitatem. Cf. J. S. M..., Uebersicht aller zum latein. Sprachstudium gehör. Partik. p. 547.

VITA.

Henricus Georges natus sum Gothae anno hujus saeculi LII tertio die mensis Junii patre Carolo Ernesto, lexicographo, matre Carolina, e gente Hunnia oriunda, quibus optimis parentibus ut summus Deus quam longissimam et laetissimam vitam impertiat, enixe precor. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus decem annos natus inter discipulos gymnasii Ernestini Gothani receptus sum, quod rectore J. Marquardto, viro doctissimo, illustrissimo, humanissimo floret, cujus et Friderici Bergeri et Ottonis Schneideri praeter ceteros in me merita celebranda sunt. Novem annis post anno h. s. LXXI maturitatis testimonio munitus Universitatis litterarum Gottingensis civium numero adscriptus sum. In philosophorum ordinem relatus per quatuor semestria adii scholas virorum doctissimorum: O. Hirschfeld, E. v. Leutsch, Lotze, W. Mueller, Sauppe, C. Wachsmuth. Per unum semestre proseminarii et per tria semestria seminarii philologici interfui exercitationibus, quod floruit sub auspiciis professorum ill. E. v. Leutsch, Sauppe, Wachsmuth.

Deinde Jenam me contuli ibique per duo semestria scholas frequentavi virorum doctissimorum Bursian, Gaedechens, Nipperdey, Ad. Schmidt, Maur. Schmidt, Wittich.

Omnibus autem his, quorum scholis interfui, viris doctissimis et summe venerandis, gratias ago quam possum maximas.

Post dies paschales anni MDCCCLXXIV Gotham reverso mihi Kalendis Octobribus adjutoris munus in bibliotheca ducali Gothana delatum est:

Typis descripserunt Baer et Hermann.